DE COMPARATIONIBUS TRANSLATIONIBUSQUE
EX AGRICOLARUM PASTORUMQUE REBUS AB
AESCHYLO ET EURIPIDE DESUMPTIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE GISSENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS BRIEGLEB

PFEDDERSHEMIENSIS.

GISSAE

TYPIS GUILELMI KELLER

MDCCCLXXXVIII.

1888

Parentibus sacrum.

Parentibus sacrum.

Veteres cum maiore studio atque amore, quam nostrae aetatis homines, universam rerum naturam amplexi sint, non miramur, quod imprimis cum animalibus iisque domesticis artiore quodam vinculo et quasi familiaritate ita coniunctos fuisse illos cognoscimus, ut scriptores eorum his rebus aut describendis aut comparationibus translationibusque ab iis petendis libenter operam navarent. Nam Graeci quidem magnum inde imaginum numerum desumpserunt, quibus orationem exornarent. Atque ex uno Platone apparet, praestantes imprimis et insignes similitudines ex equi natura proficisci, si legimus ea, quae exstant apol. p. 30, Phaedr. p. 254, leg. p. 666. Nec desunt poetis similia ab his rebus petita, immo notitiam earum illos habuisse tam accuratam ex poematis eorum conicere licet, ut nostrae aetatis nisi qui in eiusmodi studiis versetur illos aequare in hac re minime possit. Quo fit, ut ipsa quoque tragoedia, qua nihil in poesis genere perfectius apud Graecos videmus, veritate et simplicitate excellat et ad ipsius naturae similitudinem ita expressa videatur, ut de hac quoque re Godofredi illud Hermanni valeat in dissertatione de re scenica in Aeschyli Orestea prolatum: „Naturam imitabantur Graeci, eoque in omne aevum pro exemplis veri rectique erunt“, etsi haec verba ad alias res illo loco spectant. Iam igitur cum in omnibus fere vitae humanae condicionibus animalia illa, quae huc pertinent, haud parvi momenti sint, ne ei quidem qui hominum mores et instituta describenda sibi proposuerit, illorum

rationem neglegendam fuisse apparet, quippe quae in deorum cultu haud minoris facienda essent, quam in certaminibus publico consilio constitutis, in quibus non minus, quam ipsi homines, ad victoriam reportandam intenta esse videbantur. Atque cum iam antiquissimis temporibus imaginibus ab illorum natura petendis poetae studerent, id quod ex magna comparationum translationumque copia imprimis vivide expressarum, quas Homerus inde desumpsit, satis apparet, ne miramur quidem, quod tragicos quoque poetas animalium illorum studium vehementer amplexos esse eorumque naturam tamquam humanam effinxisse cognoscimus. Invenimus autem animalium, ex quorum vita ac natura imagines illi desumpserunt, praeter equum et bovem imprimis canem, sive fidi domus custodis sive venatoris comitis munere fungitur. Ac de cane quidem venatico Aeschylum praecipue vividas ac luculentas similitudines petivisse infra videbimus. Iam vero cum animalia illa in agricolarum pastorumque rebus magni momenti sint, Lueckius *, qui de Sophocle scripsit, in comparationes omnes et translationes a rebus illis profectas inquisivit, quibus eas addidit, quae sive ab artibus fabrorum, lignariorum, ferrariorum, medicorum sive a commercii mercaturaeqae rebus desumptae sunt. Atque cum ab iis ille profectus sit, quae de imaginum vi ac natura Eduardus Muellerus ** disputavit, respicienda sunt, quae is exposuit. Nam concedendum est, qui de propria ac singulari qua fuerit poeta animi ingeniique natura et indole rectum et sincerum facere velit iudicium, ei ne imaginum quidem, quibus ille usus sit, rationem neglegendam esse. Iam vero Sophoclem respiciens haud

* De comparationum et translationum usu Sophocleo. Pars I. Bericht über d. Progymn. zu Neumark W./Pr. 1878. Pars II. ibidem 1880. — Peczii commentationem (Berliner Studien III) in meum usum convertere non iam licuit.

** Über die Sophocleische Naturanschauung. Progr. des Gymn. zu Liegnitz 1842.

scio an operae sit pretium cum iis poetis illum comparare, qui eidem cui ipse poesis generi excolendo eadem fere aetate operam dederint, Aeschylum dico et Euripidem. Quare quemadmodum Lueckius in utrumque illud similium genus, quod Sophocles sive de agricolarum sive de pastorum rebus desumpsit, ita in eorundem generum imagines, quae apud Aeschylum et Euripidem inveniuntur, inquirere mihi propositum est, ut quo modo in his rebus inter se aut consentiant aut dissentiant tres illi poetae tragici, appareat et intellegatur, utrum Sophocli propria in his rebus ac prorsus singularis vis tribuenda sit necne. Atque quo facilius percipi et cum iis, quae Lueckius de Sophocle exposuit, comparari possint commentatiunculae nostrae partes, eandem viam ingrediemur, quam ille secutus est. Primum igitur de agriculturae rebus ita erit disputandum, ut sese excipiant similitudines, quae desumptae sunt:

I. de animalium natura, quorum ope ager colitur, equi et tauri,
II. de illorum usu in agro colendo et in vehendo equitandoque,
III. de accelerando equorum cursu boumque gressu,
IV. de ipso agri cultu,
V. de iugo armentis demendo et quiete danda,
VI. de seminibus spargendis plantisque ponendis atque emergentibus,
VII. de floribus sive germinibus, quae, ubi plantae provenerunt, enascuntur, atque de fructibus maturescentibus sive maturis,
VIII. de metendo,
IX. de omni genere plantarum.

In altera commentationis parte, qua pastorum res continentur, hoc ordine imagines disponendae erunt, ut deinceps agamus de iis, quae sunt profectae:

I. de omnibus verbis proprie „pascere" significantibus sive de iis, quae cum illis cohaerent,

II. de voce *αὐλή*, sede pecudum, eiusque derivatis aut compositis atque de voce *σταθμός*, cuius eadem est notio atque prioris illius vocis,

III. de bestiarum natura huc pertinentium, in quibus priores partes canis habet, alteras vitula, aper, capra, ovis.

Iam igitur ad ipsas res pertractandas transeunti initium mihi capiendum est ab agricultura omnibusque iis rebus, quae cum illa coniunctae sunt. In quibus cum primas detulerimus animalibus, quorum ope ager colitur, quas imagines sive ex equi sive ex tauri natura Aeschylus et Euripides petiverint, afferamus. Atque de equi natura quaerentes insigniore quodam studio in similitudinibus inde petendis utrumque poetam versatum esse cognoscimus. Quod ex praestanti illa comparatione Aeschylea satis perspicuum est, qua pugnandi cupidus Tydeus cum equo confertur, qui ubi tubae sonitum audivit anhelat atque in hostes se inferre cupiens vix coerceri potest. Inveniuntur verba Sept. c. Th. v. 391 seqq. :

τοιαῦτ' ἀΰτῶν ταῖς ὑπερκόμποις σαγαῖς
βοᾷ παρ' ὄχθαις ποταμίαις, μάχης ἐρῶν
ἵππος χαλινῶν ὡς κατασθμαίνων μένει,
ὅστις βοὴν σάλπιγγος ὀργᾶται κλύων.

Nam *ὀργᾶται κλύων* pro *ὁρμαίνει μένων*, quod habent libri, cum Weckleinio (Stud. zu Aesch. praef. p. VI) scribendum esse puto. Similis imago exstat Prom. v. 1009 seq. :

δακὼν δὲ στόμιον ὡς νεοζυγὴς
πῶλος βιάζῃ καὶ πρὸς ἡνίας μάχῃ.

Quibus verbis Prometheus nuper saxo affixus cum equo comparatur, cui ante breve tempus frenum iniectum est. Tertium autem quod dicimus comparationis in eo quaerendum est, quod, sicut equus initio frenum pati nescit, ita Promethei modo vinculis constricti animus necessitati

cedere nondum didicit. Eodemque spectant verba Euripidis fr. 818 :

εἰ μὲν τόδ' ἦμαρ πρῶτον ἦν κακουμένῳ
καὶ μὴ μακρὰν δὴ διὰ πόνων ἐναυστόλουν,
εἰκὸς σφαδάζειν ἦν ἂν ὡς νεόζυγα
πῶλον χαλινὸν ἀρτίως δεδεγμένον.

Cui imagini bene adiungitur comparatio, quae apud eundem poetam exstat Herc. fur. v. 119 seqq. :

μὴ προκάμητε πόδα
βαρύ τε κῶλον, ὥστε πρὸς πετραῖον
λέπας ζυγοφόρον πῶλον ἐξανέντες.

Quibus verbis a senum Thebanorum choro Amphitryo et Megara monentur, ut equi instar currui subiuncti, qui in montem praeruptum magno labore enititur, omnes calamitates perferant. De celeritate porro, qua iugo soluti vagari atque impetu furibundo irruere equi solent, comparatio petitur Orest. v. 44 seq., ubi de fratre a Furiis vexato haec profert Electra :

ποτὲ δὲ δεμνίων ἄπο
πηδᾷ δρομαῖος, πῶλος ὡς ἀπὸ ζυγοῦ.

Quo fit, ut bacchantes feminae ipsae quoque cum equis effrenatis ac quasi laetitia exsultantibus comparentur Bacch. v. 1056 seq. :

αἱ δ' ἐκλιποῦσαι ποικίλ' ὡς πῶλοι ζυγὰ
βακχεῖον ἀντέκλαζον ἀλλήλαις μέλος

atque ibidem v. 162 seqq. :

ἁδομένα δ' ἄρα
πῶλος ὅπως ἅμα ματέρι φορβάδι
κῶλον ἄγει ταχύπουν σκιρτήμασι βάκχα.

Praeterea equo ita se gerenti feminam bacchantem parem poni ex imagine cognoscimus, quae Hel. v. 543 seq. nobis occurrit :

οὐχ ὡς δρομαία πῶλος ἢ βάκχη θεοῦ
τάφῳ ξυνάψω κῶλον;

Iam vero sequitur similitudo quaedam Aeschylea, qua usus

Aegisthus, qui iam Agamemnone interfecto se civibus imperaturum esse dicit, Agam. v. 1639 seqq. haec profert :

τὸν δὲ μὴ πειθάνορα
ζεύξω βαρείαις οὔτι μὴ σειραφόρον
κριθῶντα πῶλον.

Ac respicienda videntur, quae de hoc loco bene explicavit Gustavus Radtkius*, qui, cum σειραφόρος sive σειραῖος sit equus funalis, Aegisthum minari dicit, se eum, qui praeceptis suis obsistere conetur, funalis equi loco προσκείμενον ἵππον quem vocaverint redditurum iugumque ei impositurum esse. Comprobatur autem explicatio illa vocis σειραφόρος sive σειραῖος, quam ex Sophoclis scholiasta attulit, iis, quae apud Hesychium et Suidam de eadem re inveniuntur. Nam apud illum legimus : σειραφόρον· ἡγεμονικόν· μετῆκται δὲ ἀπὸ τῶν δεξιοσείρων ἵππων, apud hunc : σειραῖος ἵππος· ὁ ἔξω τοῦ ζυγοῦ, ὁ δεξιός. Sed cave credas funales equos semper contumaces esse poetam contendere, immo addito verbo κριθῶντα violenter se gerentis animalis notionem exprimi consentaneum est, cum de eo equo illud dicatur, qui, ubi nimia hordei sive avenae copia pastus est, lascivit atque sive freno sive iugo repugnat. Deinde vocabulum πῶλος, cum pullum equinum significet, ad pueros quoque et ad puellas ab utroque poeta transfertur. Cuius usus exempla Aeschylea continentur locis, qui exstant Choeph. v. 794, ubi ἀνδρὸς φίλου πῶλον Orestem poeta nominat, Agamemnonis filium, atque Sept. c. Th. v. 454, ubi verbis πωλικῶν θ' ἑδωλίων virginum conclave significatur. Ex Euripide autem primum huc afferendus est Phoen. v. 947, ubi verbis οὗτος δὲ πῶλος Menoeceus, Creontis filius, insignitur. Ad Polyxenam deinde pertinent, Hecubae filiam, quae legimus Hec. v. 143 seq. :

---

* De tropis apud tragicos Graecos. Dissert. inaug. Berol. 1865. p. 31.

ἥξει δ' Ὀδυσσεὺς ὅσον οὐκ ἤδη
πῶλον ἀφέλξων σῶν ἀπὸ μαστῶν.

Quibus adiungenda sunt Androm. v. 621 verba *κακῆς γυναικὸς πῶλον* de Hermione, Helenae filia, usurpata atque Hipp. v. 545 seq. :

τὰν μὲν Οἰχαλίᾳ
πῶλον ἄζυγα λέκτρων

ad Iolam pertinentia, quae matrimonii iugum nondum subiit. Iam vero attributi *ἄζυξ* usus metaphoricus, ubi in translationes inquiremus de verbo *ζευγνύναι* atque de iis vocabulis profectas, quae cum illo cohaerent, planius explicandus erit. Restat compositione ortum substantivum *ἀμβροτόπωλος*, quod ipsum quoque cum illo *ἄζυξ* coniunctum Troad. v. 535 nobis occurrit :

χάριν ἄζυγος ἀμβροτοπώλου

neque de equo illo durio, sed de Athena, dea virginea, dictum videtur. Sequuntur alia similia, quae ab equi natura Aeschylus petivit. Ac propter longum quidem promissumque capillum captivae mulieres cum equis comparantur Sept. c. Th. v. 326 seqq. :

τὰς δὲ κεχειρωμένας ἄγεσθαι,
ἐή, νέας τε καὶ παλαιὰς
ἱππηδὸν πλοκάμων,

cui loco simillimus est Suppl. v. 428 seqq. :

μή τι τλῇς τὰν ἱκέτιν εἰσιδεῖν
ἀπὸ βρετέων βίᾳ δίκας ἀγομέναν
ἱππηδὸν ἀμπύκων.

Accedit imago, qua cameli equorum instar sub equitibus incedere dicuntur. Invenitur Suppl. v. 284 seq., qui ita legendi esse cum Weilio mihi videntur :

Ἰνδάς τ' ἀκούω νομάδας ἱπποβάμοσιν
τοίας καμήλοις ἀστραβιζούσας.

Quo loco *ἱπποβάμοσιν* scholiasta explicat *ἵπποις ἐοικυίαις κατὰ τὸ τάχος*. Eodem porro referenda sunt similia de verbo *λακτίζειν* sive de iis vocabulis, quae cum illo cohae-

rent, desumpta. Atque illud quidem, quod propie de equis calcitrantibus dicitur, translate ponitur de hominibus, qui quasi pedibus aliquid proterunt atque violant. Plerumque igitur, si ita verbum usurpatur, cum accusativo iungitur, quem usum habemus Agam. v. 381 seqq. :

οὐ γάρ ἐστιν ἔπαλξις
πλούτου πρὸς κόρον ἀνδρὶ
λακτίσαντι μέγαν Διὸς βωμὸν εἰς ἀφάνειαν,

atque ibidem v. 884 seq. :

ὥστε σύγγονον
βροτοῖσι τὸν πεσόντα λακτίσαι πλέον.

Praeterea Prom. v. 881 legitur :

κραδία δὲ φόβῳ φρένα λακτίζει,

ubi sollicitandi sive vexandi notione praeditum verbum *λακτίζειν* habemus. Iam cum sequantur verba *πρὸς κέντρα λακτίζειν*, voce *κέντρον* stimulum illum, quo animalia incitari solent, significari atque de hoc ipso satis multas imagines infra tractandas profectas esse commemorandum est. Universa autem illa locutione ipsam animalis naturam significari consentaneum est. Nam cum illud *πρὸς κέντρα λακτίζειν* de iis equis proprie dicatur, qui stimulo percussi calcitrant atque aurigae voluntati resistere student, translate ponitur de eo, qui alicuius imperio non obtemperat. Quo sensu usurpata sunt, quae Aeschyli Agam. v. 1624 ad chorum conversus Aegisthus profert :

πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε.

Eandemque metaphoram apud Euripidem habemus fr. 607 :

πρὸς κέντρα μὴ λάκτιζε τοῖς κρατοῦσί σου

atque Bacch. v. 794 seq., ubi Dionysius Pentheum his verbis adhortatur :

θύοιμ' ἂν αὐτῷ μᾶλλον ἢ θυμούμενος
πρὸς κέντρα λακτίζοιμι θνητὸς ὢν θεῷ.

Translatione deinde paullo audaciore apud eundem poetam *πρὸς κῦμα λακτίζειν* nautae dicuntur, qui maris undae obluctari atque vento adverso navigare student. Exstat

autem locus, de quo agitur, Iph. Taur. v. 1395 seq., ubi de Orestis sociis haec leguntur verba :

οἱ δ᾽ ἐκαρτέρουν
πρὸς κῦμα λακτίζοντες.

Denique huc adiungamus, quae Aeschyli Prom. v. 322 seq. nobis occurrunt :

οὔκουν ἔμοιγε χρώμενος διδασκάλῳ
πρὸς κέντρα κῶλον ἐκτενεῖς,

cum *κῶλον ἐτείνειν* idem fere valeat, atque illud *λακτίζειν*. Invenimus praeterea compositum *ἀπολακτίζειν*, quod calce repellere significat, Eum. v. 141 seq. :

εὕδεις; ἀνίστω κἀπολακτίσασ᾽ ὕπνον
ἰδώμεθ᾽ εἴ τι τοῦδε φροιμίου ματᾷ

atque Prom. v. 651 seq. :

σὺ δ᾽, ὦ παῖ, μὴ 'πολακτίσῃς λέχος
τὸ Ζηνός.

Prope autem ad eas quas attulimus imagines accedit translatio *λὰξ πατεῖν*, quae neglegere valet sive contemnere. Ita igitur intellegenda sunt, quae Choeph. v. 641 seq. nobis occurrunt :

τὸ μὴ θέμις γὰρ οὐκ ἐᾷ
λὰξ πέδοι πατούμενον,

atque idem sensus Eum. v. 110 exstat :

καὶ πάντα ταῦτα λὰξ ὁρῶ πατούμενα.

Neque ab hac significatione recedit locutio *λὰξ ἀτίειν*, immo rectam esse nostram illius *λὰξ πατεῖν* interpretationem ex verbo *ἀτίειν* cognoscere licet. Sunt autem ea quae dicimus Eum. v. 540 seq. ita expressa :

μηδέ νιν (scil. *βωμὸν δίκας*)
κέρδος ἰδὼν ἀθέῳ ποδὶ λὰξ ἀτίσῃς,

ubi addito *ἀθέῳ ποδὶ* plenior ac luculentior imago evadit. Sequitur substantivum *λάκτισμα* Agam. v. 1601 usurpatum :

λάκτισμα δείπνου ξυνδίκως τιθεὶς ἀρᾷ,

cuius loci sententiam hunc in modum recte Weilius explicat : „*σὺν δίκῃ* (*δικαίως*) *τὸ δεῖπνον λακτίζων ἀρᾷ*, cenam

"proculcans non pede, sed exsecratione: cenae proculcationem diris includens." Denique de vocabulo ἀπολακτισμὸς desumptam translationem habemus Suppl. v. 936 seq.:

ἀλλὰ πολλὰ γίγνεται πάρος
πεσήματ' ἀνδρῶν κἀπολακτισμοὶ βίων,

quae recte vertit Bothius: „sed multae antea fiunt caedes virorum vitaeque iacturae." Restat similitudo Aeschylea admodum singularis, quam huc referre debemus. Nam fr. 238 haec nobis occurrunt:

νέας γυναικὸς οὔ με μὴ λάθῃ φλέγων
ὀφθαλμός, ἥτις ἀνδρὸς ᾖ γεγευμένη·
ἔχω δὲ τούτων θυμὸν ἱππογνώμονα.

Vocabulo autem ἱππογνώμων eum significari, qui equas gravidas ab aliis internoscit ex Hesychio cognoscimus: ἱππογνώμων· ἵππους διαγινώσκων ἐγκύους ἢ μή. Dicit igitur is, cuius verba illa sunt, se mulierum condicionis non minus peritum esse, quam equarum eum, qui illarum naturam noscendam sibi proposuerit. Denique etiam ex Euripide unum reliquum est translationis exemplum, quod huc pertineat. Dicimus enim verbi ἀναχαιτίζειν usum metaphoricum, qui Hipp. v. 1232 nobis occurrit:

ἕως ἔσφηλε κἀνεχαίτισεν,

ubi ad currum poeta transtulit, quod propie de equo erectis iubis se efferente dicitur. Idem verbum apud Sophoclem inventum Suidas ita explicat: ἀναχαιτίζει· ἀναποδίζει, ἐγκόπτει. Ἀναχαιτίζειν Σοφοκλῆς, τὸ ἀπειθεῖν καὶ ἀντιτείνειν. Quocum consentit Hesychii explicatio: ἀναχαιτίζειν· ἀπειθεῖν, ἀναχαλινοῦν.

Iam igitur quoniam imaginum copiam ab equi natura petitarum exhausimus, eas similitudines pertractemus, quas a tauro eiusque natura uterque poeta desumpsit. Ac complures inveniuntur loci, quibus propter mugitum in comparationem bos vocatur. Quo pertinent, quae Aeschylus scripsit fr. 55:

ταυρόφθογγοι δ' ὑπομυκῶνται
πόθεν ἐξ ἀφανοῦς φοβεροὶ μῖμοι,

atque de eadem re translationes deductae sunt, quibus tonitru sive vox eius repercussa mugire dicuntur Prom. v. 1062 :

βροντῆς μυκῆμ' ἀτέραμνον

eiusdemque fabulae v. 1082 seq. :

βρυχία δ' ἠχὰ παραμυκᾶται
βροντῆς.

Duo praeterea apud Euripidem exstant exempla, quibus eadem metaphora continetur. Nam Iph. Taur. v. 1390 seq. de Orestis sociis legimus :

οἱ δὲ στεναγμὸν ἡδὺν ἐκβρυχώμενοι
ἔπαισαν ἅλμην,

atque de Hercule a Rabie dea Herc. fur. v. 869 seq. haec proferuntur :

ἀμπνοὰς δ' οὐ σωφρονίζει, ταῦρος ὡς εἰς ἐμβολήν,
δεινὰ μυκᾶται δὲ Κῆρας ἀνακαλῶν τὰς Ταρτάρου.

Propter gemitum autem, quem de pectore ducere solet, moriens homo cum bove modo caeso comparatur Aeschyli fr. 433 :

ἐτονθόρυζε ταῦρος ὡς νεοσφαγής.

De ratione deinde, qua aspectum aliquo convertere solet hoc animal, satis perlucida ab Euripide desumpta sunt similia, ex quo primum afferenda sunt fr. 690 v. 3 seq. verba :

ὄμμα γὰρ πυρὸς γέμεις
ταῦρος λέοντος ὡς βλέπων εἰς ἐμβολήν.

Praeterea huc pertinet verbi ταυροῦσθαι usus metaphoricus, quem habemus Med. v. 92 seq. :

ἤδη γὰρ εἶδον ὄμμα νιν ταυρουμένην
τοῖσδ', ὥς τι δρασείουσαν,

quibus verbis ipsa Medea tauri instar i. e. oculis fixis liberos suos intuita esse dicitur, quasi quid contra eos moliretur. Atque de eadem v. 187 seq. legimus :

καίτοι τοκάδος δέργμα λεαίνης
ἀποταυροῦται δμωσίν,

quae nulla re ab antecedentibus differunt nisi quod verbis *δέργμα λεαίνης* altera simul imago priori adiungitur, qua Medeae oculorum in ancillas fixorum aspectus ferus fuisse significatur. Sed haec ad nostram quaestionem minus pertinent. Alium verbi *ταυροῦσθαι* apud Aeschylum habemus usum, qui Choeph. v. 275 :

ἀποχρημάτοισι ζημίαις ταυρούμενον

Orestem dicit, quod de tauro petitum irritamento aliquo efferato bonorum privatione exasperatum Agamemnonis filium significat. Sequitur *ἀταύρωτος* illud de eodem verbo cum *α* privativo composito derivatum, quod Agam. v. 244 Iphigeniae tributum ad eius virginitatem pertinet. Qui quidem verbi *ταυρόω* usus idem valet quod *θρώσκω* transitivo sensu usurpatum. Utrumque enim de tauro dicitur, qui vaccam gravidam reddit, ut vel translatione perlucida *ἀταύρωτος* virginem integram significare possit. Alterius vero quod commemoravimus verbi usum habemus metaphoricum Eum. v. 660, ubi *ὁ θρώσκων* de viro intellegendum est, qui feminam gravidam reddens liberos gignit, i. e. de patre. Eodem pertinet illud *θρώσκων κνώδαλα* (fr. 13), quod Hesychius explicat *ἐκθορίζων καὶ σπερματίζων, γεννῶν.* Iam sequitur imago Agam. v. 1125 seqq. exstans, qua Clytaemnestra *βοῦς*, Agamemnon *ταῦρος* vocatur. Ubi cum librorum scriptura corrupta sit, haec fuisse Cassandrae verba cum Weilio mihi persuasi :

ἄπεχε τᾶς βοὸς
τὸν ταῦρον· ἐν πέπλου νιν
μελάγκερως λαβοῦσα μηχανήματι
τύπτει.

Nam cum hoc loco funestum Agamemnonis interitum significari perspicuum sit, bene Clytaemnestra cum vacca comparari videtur, quae nigris cornibus Agamemnonem ferit, nec dubito equidem quin hac de causa illam poeta *βοῦν*

μελάγκερων atque eius maritum *ταῦρον* nominaverit. Ad idem animal, utpote quod diis immolari soleat, duae comparationes spectant, quae in eadem fabula inveniuntur, cuius v. 1297 seq. chorus ex Cassandra sibi ipsi ab Aegistho et Clytaemnestra necem illatum iri praesagiente quaerit :

πῶς θεηλάτου
βοὸς δίκην πρὸς βωμὸν εὐτόλμως πατεῖς;

Altero loco, qui exstat v. 1415 seqq., Clytaemnestra Iphigeniam filiam immolatam esse conqueritur ab Agamemnone,

ὃς οὐ προτιμῶν, ὡσπερεὶ βοτοῦ μόρον
μήλων φλεόντων εὐπόκοις νομεύμασιν
ἔθυσεν αὑτοῦ παῖδα.

Atque ad eandem rem spectant, quae apud Euripidem legimus El. v. 1142 seqq. :

κανοῦν δ' ἐνῆρκται καὶ τεθηγμένη σφαγίς,
ἥπερ καθεῖλε ταῦρον, οὗ πέλας πεσεῖ
πληγεῖσα.

Sunt enim Electrae verba, quae *ταῦρον* dicit Aegisthum ab Oreste caesum ac iam Clytaemnestram prope illum immolatum iri contendit. Eodem denique pertinent complures loci Euripidei, quibus vocabulum *μόσχος* usurpatum invenimus. Teneram enim boum subolem vocabulo illo significari, ex iis cognoscimus, quae de genere taurino ab Aristophane Byzantio* dicta traduntur. Ac primum quidem admodum praeclara atque insignis comparatio, qua Polyxena in Achillis sepulcro a Graecis immolanda cum vitula se confert, Hec. v. 204 seqq. ita expressa est :

σκύμνον γάρ μ' ὥστ' οὐριθρέπταν
μόσχον δειλαία δειλαίαν
εἰσόψῃ χειρὸς ἀναρπαστὰν
σᾶς ἄπο λαιμότομόν θ' Ἅιδᾳ
γᾶς ὑποπεμπομέναν σκότον, ἔνθα νεκρῶν μέτα
τάλαινα κείσομαι.

* Fragmenta coll. et disp. Nauck p. 104.

Altera deinde imago, quam eiusdem fabulae v. 525 seqq. legimus :

λεκτοὶ δ' Ἀχαιῶν ἔκκριτοι νεανίαι
σκίρτημα μόσχου σῆς καθέξοντες χεροῖν,
ἕσποντο,

ad eandem Polyxenam spectat, quae quam constanter immolationem subierit Talthybius illius matri Hecubae nuntiat. Praeterea huc pertinent et quae Iph. Aul. v. 1080 seqq. de immolanda Agamemnonis filia chorus profert :

σὲ δ', ὦ κόρα, στέψουσι καλλικόμαν
πλόκαμον Ἀργεῖοι, βαλιὰν
ὥστε πετραίων ἀπ' ἄντρων
ἐλθοῦσαν ὀρέων μόσχον ἀκήρατον,
βρότειον αἱμάσσοντες λαιμόν,

et quae de se ipsa illa dicit Iph. Taur. v. 359 seq. :

οὗ μ' ὥστε μόσχον Δαναΐδαι χειρούμενοι
ἔσφαζον, ἱρεὺς δ' ἦν ὁ γεννήσας πατήρ.

Accedunt loci nonnulli, quibus vocabulum μόσχος metaphorice usurpatum non ad animal illud spectat, quod diis immolari solet, sed simpliciter de tenera boum subole ad teneram hominum aetatem transitio fit. Ita igitur intellegenda sunt, quae de Hermione, Menelai filia, Peleum poeta dicentem facit Androm. v. 711 seq. :

εἰ στεῖρος οὖσα μόσχος οὐκ ἀνέξεται
τίκτοντας ἄλλους, οὐκ ἔχουσ' αὐτὴ τέκνα.

Atque eodem iure Agave Pentheum filium μόσχον appellat Bacch. v. 1184 seq., ubi haec habemus illius verba :

νέος ὁ μόσχος ἄρτι γένυν ὑπὸ κόρυθ' ἁπαλότριχα
κατάκομον θάλλει.

Sequitur de animali rationis experte desumpta similitudo, qua infans cum illo comparatur Aeschyli Choeph. v. 753 seq.:

τὸ μὴ φρονοῦν γὰρ ὡσπερεὶ βοτὸν
τρέφειν ἀνάγκη, πῶς γὰρ οὔ; τρόπῳ φρενός.

Praeterea duo loci Aeschylei huc referendi sunt Suppl. v. 42 et 313, quibus Epaphus Διὸς πόρτις appellatur,

quippe qui ex Ione, quam Iuno in vaccam mutaverat, Iovi natus sit. Vocem autem *πόρτις* eadem significatione proprie usurpari, qua *μόσχος*, ex Aristophanis Byzantii illo loco, quem supra* laudavimus, cognoscere licet. Restat denique illud proverbium, quod Agam. v. 36 seq. invenitur:

βοῦς ἐπὶ γλώσσῃ μέγας
βέβακεν.

Quae verba quid sibi velint, vix diiudicari poterit. Neque enim aliud quidquam perspicuum videtur, nisi, id quod ex lexicographorum et paroemiographorum explicationibus apparet, vocem *βοῦς* nummi instar hoc loco esse, reliqua incerta esse tibi persuadebis.

Iam vero omnibus comparationibus translationibusque peractis, quae sive de equi sive de tauri natura ab utroque poeta petitae sunt, quid inde colligatur ad illorum artem et indolem cognoscendam, tum demum exponemus, ubi totius huius generis similia ad finem perduxerimus. Quare in via nostra progrediamur quaeque de animalium illorum usu in agro colendo et in vehendo equitandoque desumpta sunt similia pertractemus. Ac primum quidem, qualis sit usus equi quadrigis subiuncti, supra iam commemoravimus, ubi de Agam. v. 1639 seqq. disputavimus. Nam aut funalem esse aut iugalem equum, qui hoc munere fungitur, attributi *σειραφόρος* significationem explicantes demonstravimus. Iam igitur ceteras similitudines huc affere liceat, quae ab eadem re profectae sunt. Atque iterum quidem invenimus ipsum vocabulum *σειραφόρος* Aeschyli Agam. v. 841 seq.:

μόνος δ' Ὀδυσσεύς, ὅσπερ οὐχ ἑκὼν ἔπλει
ζευχθεὶς ἕτοιμος ἦν ἐμοὶ σειραφόρος,

ubi equi funalis instar sibi iunctum fuisse Ulixem Agamemnon dicit, quippe qui omnes labores cum ipso ferendos susceperit. *Ἕτοιμον* autem cum dicat *σειραφόρον* illum, equi instar, qui in vehendo operam navet ac labore

---

* Pag. 17.

cum ceteris quadriiugis sibi consociato delectetur, ad omnes belli casus secum communicandos promptissimum illum fuisse dicit. Addendum est, ipsum illud *ζευχθεὶς* translate dici atque de communione, qualis iugo efficitur, ad artam illam necessitudinem transferri, qua Ulixes cum Agamemnone coniunctus erat. Qua de re infra fusius disputandum erit, ubi verbi *ζευγνύναι* usum metaphoricum fusius exponemus. Neque hoc loco omittendum est, alteram illam formam *σειραῖος*, quam idem valere atque *σειραφόρος* superiore illo loco explicavimus, apud Euripidem nobis occurrere, cuius Herc. fur. v. 445 seq. de Herculis uxore cum liberis appropinquante chorus dicit, se videre illius :

ἄλοχόν τε φίλην ὑπὸ σειραίοις
ποσὶν ἕλκουσαν τέκνα.

Quibus verbis Megarae pedes quasi catenis sive habenis iuncti describuntur, ut iam aegre illam fessa trahere membra cognoscas. Eadem praeterea notione praeditum, qua *σειραφόρος* sive *σειραῖος*, etiam *παράσειρος* usurpatur, quod apud eundem poetam de Pylade, fido Orestis comite, dictum invenimus. Qui cum summa familiaritate cum illo coniunctus sit, Orest. v. 1017 :

ποδὶ κηδοσύνῳ παράσειρος

a choro appellatur. Restat a voce *σειρὰ* derivatum verbum *ἀνασειράζειν*, quod ab ipso quoque Euripide usurpatum huc referendum est. Ac proprie quidem quid significet hoc verbum, ex Hesychio apparet, qui explicat : *ἀνασειράζουσιν· ἀνθέλκουσιν, ἀνακύπτουσιν* et participium *ἀνασειράζων· ἄγχων, ὡς ἀπὸ τῆς σειρᾶς· εἰς τὰ ὀπίσω ἕλκων.* Est igitur catena retrahere sive refrenare, accipiendo refrenare pro retrahere freno, quod Suidae interpretatione comprobatur, cuius verba sunt : *ἀνασειράζει· ἀνθέλκει, ἀνατρέπει· ἐν Ἐπιγράμματι·*

Ἄψ ἀνασειράζω, καὶ πάλιν ἄγχι μένω.

ἀνασειράζω οὖν, ἀναχαλινῶ. Improprie autem Hipp. v. 236 seq. dicitur :

τάδε μαντείας ἄξια πολλῆς,
ὅστις σε θεῶν ἀνασειράζει,

ubi scholiasta adnotat : ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ταῖς σειραῖς παρακρουομένων ἵππων καὶ τοῦ εὐθέος δρόμου παρεκβαλλομένων.

Iam vero illas imagines tractandas suscipiamus, quae de verbo ζευγνύναι sive de vocabulis aut derivatione aut compositione ab illo ortis desumptae sunt. Qui quidem usus ut apud Sophoclem ita apud Aeschylum atque etiam apud Euripidem latissime patet. Sunt autem exempla, in quibus comparatio sive translatio tam accurate tamque perspicue introducitur, ut ad imaginem illam imprimis clare expressam, quae Sophoclis Ant. v. 290 seqq. continetur, prope accedere videantur. Dico enim primum, quae Euripidis Hec. v. 375 seq. inveniuntur :

ὅστις γὰρ οὐκ εἴωθε γεύεσθαι κακῶν,
φέρει μὲν, ἀλγεῖ δ', αὐχέν' ἐντιθεὶς ζυγῷ,

deinde quae ibidem v. 466 seqq. legimus :

ἢ Παλλάδος ἐν πόλει
τᾶς καλλιδίφρου Ἀθα-
ναίας ἐν κροκέῳ πέπλῳ
ζεύξομαι ἅρματι πώλους,

quae verba ad deae equos textili pictura fingendos spectant. Praeterea huc pertinet Aeschyli Agam. v. 529 :

τοιόνδε Τροίᾳ περιβαλὼν ζευκτήριον.

Neque omittenda est imago, quae Choeph. v. 794 seqq. exstat :

ἴσθι δ' ἀνδρὸς φίλου πῶλον εὔ-
νιν ζυγέντ' ἐν ἅρματι
πημάτων,

ubi verbis ἀνδρὸς φίλου πῶλον Orestem significari de imaginibus ab equi natura petitis disputantes iam commemoravimus. Accedunt imagines, quibus Xerxes quasi iugo domuisse mare describitur, quippe quod ponte imposito ita servum sibi fecerit, ut pedibus ex Asia in Europam trans-

ire posset. Ad quam rem tres loci spectant, qui in Persis inveniuntur, ubi v. 72 imagine praeclare expressa legimus :

ζυγὸν ἀμφιβαλὼν αὐχένι πόντου.

Deinde v. 722 haec invenimus :

μηχαναῖς ἔζευξεν Ἕλλης πορθμὸν, ὥστ' ἔχειν πόρον

atque v. 130 seqq. :

τὸν ἀμφίζευκτον ἐξαμείψας
ἀμφοτέρας ἅλιον
πρῶνα κοινὸν αἴας.

Denique huc affere liceat, quae fr. 350 leguntur :

πάτερ Θέοινε, Μαινάδων ζευκτήριε,

quo loco vocabulam ζευκτήριος, quo is proprie significatur, qui animalia domat, ad eum transfertur, qui hominum licentiam coercet ac reprimit.

Sequuntur earum de illis vocabulis petitarum imaginum, quibus arta quaedam et plerumque molesta communio significatur, duo illa genera, quorum in altero cum rebus quae dicuntur concretis, in altero cum abstractis communio est. Atque illius quidem generis, cuius rariora sunt apud Sophoclem similia, etiam apud Aeschylum duo tantum exempla inveniuntur, maior apud Euripidem imaginum numerus nobis occurrit, quae huc referendae esse videantur. Atque ex Aeschylo primum afferre liceat, quae Pers. v. 736 exstant :

ἄσμενον μολεῖν γέφυραν γαῖν δυοῖν ζευκτηρίαν

quaeque ad communionem illam spectant inter Asiam et Europam ponte mari imposito effectam. Deinde huc pertinet, quod Agam. v 44 legitur ὀχυρὸν ζεῦγος Ἀτρειδᾶιν, quibus verbis naturali quadam societate Agamemnon et Menelaus inter se coniuncti fuisse dicuntur. Quae vero Euripides Hel. v. 392 Menelaum dicentem facit :

Ἀγαμέμνον' ἐμέ τε Μενέλεων, κλεινὸν ζυγὸν,

ab imagine illa, quam Aeschylus usurpavit, minime diversa sunt. Ad quam similitudinem aliae satis multae, quibus idem poeta usus est, proxime accedunt. Atque ex Hippo-

lyto v. 1147 commemorandus est, ubi *συζύγιοι Χάριτες* dicuntur, quippe quae artiore quadam necessitudine inter se coniunctae sint. Easdemque cum Musis coniunctas *ἀδίσταν ξυζυγίαν* poeta appellat Herc. fur., cuius v. 673 seqq. haec legimus :

οὐ παύσομαι τὰς Χάριτας
Μούσαις ξυγκαταμιγνὺς,
ἁδίσταν ξυζυγίαν.

Nec multum diversa sunt ab his, quae Troad. v. 924 inveniuntur :

ἔκρινε τρισσὸν ζεῦγος ὅδε τρισσῶν θεῶν

de Paride dicta, cui certamen diiudicandum erat inter tres illas deas ortum, quibus idem Euripides Hel. v. 357 nomen dedit *τριζύγοις θεαῖσι.* Accedit illud *ζεῦγος τριπάρθενον* fr. 359 usurpatum, ubi schol. Arat. 172 explicat : *Εὐριπίδης μὲν οὖν ἐν Ἐρεχθεῖ τὰς Ἐρεχθέως θυγατέρας Ὑάδας φησὶ γενέσθαι τρεῖς οὔσας.* Atque fr. 775 quid significet *τριπλοῦν ζεῦγος,* ipsis verbis explicatur, quae inde a v. 53 ita expressa sunt :

ἀλλ' ὅδε γὰρ δὴ βασιλεὺς πρὸ δόμων
κῆρύξ θ' ἱερὸς καὶ παῖς Φαέθων
βαίνουσι, τριπλοῦν ζεῦγος.

Sequuntur quae Androm. v. 494 seqq. legimus :

καὶ μὴν ἐσορῶ τόδε σύγκρατον
ζεῦγος πρὸ δόμων
ψηφῷ θανάτου κατακεκριμένον,

ubi verba *τόδε σύγκρατον ζεῦγος* ad Andromachen eiusque filium Molossum spectant, quos communi morte coniungendos esse constitutum est. Eandemque sortem cum Herculis pater eiusque coniux et liberi obeant, Herc. fur. v. 454 seq. hoc modo Megara conqueritur :

ὦ τέκν', ἀγόμεθα ζεῦγος οὐ καλὸν νεκρῶν,
ὁμοῦ γέροντες καὶ νέοι καὶ μητέρες.

Atque ex eadem fabula huc afferenda est similitudo, quae v. 1403 exstat, ubi *ζεῦγός γε φίλιον* cum Theseo coniunc-

tum Hercules se nominat. Idemque familiaritate cum Castore coniunctus Pollux illius *ξύζυγος* appellatur Troad. v. 1000 seq., ubi haec verba respicienda sunt :

Κάστορος νεανίου
τοῦ ξυζύγου τ' ἔτ' ὄντος.

Neque diversa est ab hac imago illa, quae Iph. Taur. v. 250 ita expressa est :

τοῦ ξυζύγου δὲ τοῦ ξένου τί τοὔνομ' ἦν;

Nam Graecos duos in Tauridem insulam nave advenisse alterumque ab altero Pyladem nominari Iphigeniae a pastore nuntiatum est, a quo iam verbis laudatis illa quaerit, quod sit nomen amici cum Pylade coniuncti. Unum restat huius generis exemplum, in quo verbum *παραζευγνύναι* ita usurpatum est, ut adiungendi atque artae cuiusdam communionis efficiendae notio evadat. Dicimus enim, quae Ion. v. 22 seq. nobis occurrunt :

φρουρὼ παραζεύξασα φύλακε σώματος
δισσὼ δράκοντε.

Uberiores sunt alterius generis imagines, in quo cum rebus abstractis communionem esse supra indicavimus. Atque apud Aeschylum primum locum obtinet earum numerus, quibus qui servitute oppressus tenetur illam quasi iugum ferre significatur. Habemus autem tales translationes Agam. v. 953 :

ἑκὼν γὰρ οὐδεὶς δουλίῳ χρῆται ζυγῷ,

v. 1226 :

φέρειν γὰρ χρὴ τὸ δούλιον ζυγόν,

Sept. c. Th. v. 74 seq. :

ἐλευθέραν δὲ γῆν τε καὶ Κάδμου πόλιν
ζυγοῖσι δουλείοισι μήποτε σχεθεῖν,

v. 470 seq. :

καὶ τῷδε φωτὶ πέμπε τὸν φερέγγυον
πόλεως ἀπείργειν τῆσδε δούλειον ζυγόν,

v. 793 :

πόλις πέφευγεν ἥδε δούλειον ζυγόν,

Pers. v. 49 seq. :

στεῦνται δ' ἱεροῦ Τμώλου πελάται
ζυγὸν ἀμφιβαλεῖν δούλιον Ἑλλάδι.

Rariora huiusmodi exempla apud Euripidem nobis occurrunt. Nulla enim invenimus nisi quae exstant Troad. v. 595 :

ζυγὰ δ' ἤνυσε δούλια Τροία,

ibidem v. 672 seq. :

καὶ νῦν ὄλωλας μὲν σὺ, ναυσθλοῦμαι δ' ἐγὼ
πρὸς Ἑλλάδ' αἰχμάλωτος ἐς δοῦλον ζυγόν,

Androm. v. 302 seq. :

οὔτ' ἂν ἐπ' Ἰλιάσι ζυγὸν ἤλυθε
δούλιον.

Exstant praeterea alia huius generis similia non multum diversa ab iis, quae Sophocles usurpavit. Quo pertinent quae inveniuntur Alc. v. 482 :

τῷ προσέζευξαι πλάνῳ;

Hipp. v. 1389 :

ἆ τλῆμον, οἵᾳ συμφορᾷ ξυνεζύγης,

Hel. v. 255 :

φίλαι γυναῖκες, τίνι πότμῳ ξυνεζύγην;

Androm. v. 98 :

στερρόν τε τὸν ἐμὸν δαίμον', ᾧ ξυνεζύγην,

Med. v. 735 :

ὁρκίοισι μὲν ζυγεὶς,

Suppl. v. 220 :

θεσφάτοις Φοίβου ζυγείς,

ibidem v. 1229 :

καὶ τόνδ' ἐν ὅρκοις ζεύξομαι,

fr. 598 :

αἰδοῦς ἀχαλκεύτοισιν ἔζευκται πέδαις,

Orest. v. 1330 :

ἄραρ'· ἀνάγκης δ' ἐς ζυγὸν καθέσταμεν,

fr. 478 :

τὸ τῆς ἀνάγκης οὐ λέγειν ὅσον ζυγὸν,

Iph. Aul. v. 443 :

εἰς οἷ' ἀνάγκης ζεύγματ' ἐμπεπτώκαμεν,

Heracl. v. 885 seq. :

οὐ μὴν ἑκόντα γ' αὐτὸν, ἀλλὰ πρὸς βίαν
ἔζευξ' ἀνάγκῃ.

Neque magis ab illis recedunt, quae Aeschylus scripsit Agam. v. 1071 :

εἴκουσ' ἀνάγκῃ τῇδε καίνισον ζυγόν,

cui loco simillimus est Prom. v. 108 :

ἀνάγκαις ταῖσδ' ἐνέζευγμαι τάλας

idemque Agam. v. 218 :

ἐπεὶ δ' ἀνάγκας ἔδυ λέπαδνον,

nisi quod hoc loco *λέπαδνον* habemus idem significans quod *ζυγόν*. Praeterea huc pertinet Prom. v. 577 seqq. :

τί ποτέ μ' ὦ Κρόνιε
παῖ, τί ποτε ταῖσδ' ἐνέζευξας εὑ-
ρὼν ἁμαρτοῦσαν ἐν πημοσύναις

atque fr. 311 :

ὅπου γὰρ ἴσχυς συζυγοῦσι καὶ δίκη,
ποία ξυνωρὶς τῆσδε καρτερωτέρα;

Quo loco cum praeterea inveniatur vocabulum *ξυνωρὶς*, id ipsum quoque de animalium communione, quae iugo efficitur, profectum esse commemorandum est. Iam igitur ceteros quoque locos huc affere liceat, quibus eiusdem vocabuli usum metaphoricum habemus. Atque ex Euripide huc referenda sunt verba, quae Med. v. 1145 usurpata ad ipsius Medeae liberos spectant :

πρὶν μὲν τέκνων σῶν εἰσιδεῖν ξυνωρίδα.

Eodemque modo, quae Phoen. v. 1085 leguntur :

ζῇ σοι ξυνωρὶς ἐς τόδ' ἡμέρας τέκνων,

de Oedipodis et Iocastae filiis dicuntur, qui et ipsi eiusdem fabulae v. 1618 *εὔτεκνος ξυνωρὶς* a patre appellantur. Restat locus Euripideus Bacch. v. 324, quo verba *πολιὰ ξυνωρὶς* a Tiresia proferuntur de ipso cum Cadmo coniuncto usurpata. Deinde Aeschyli Agam. v. 643 laudandus

est, ubi gladium ac pestilentiam, quibus Mars homines occidere soleat,

δίλογχον ἄτην, φοινίαν ξυνωρίδα

poeta appellat. Significatione autem paullum diversa Choeph. v. 982 scriptum invenimus :

πέδας τε χειροῖν καὶ ποδοῖν ξυνωρίδα.

Neque enim de ipsa communione hic vocabulum *ξυνωρὶς* intellegendum est, sed de ea re, qua illa efficitur, ut iam copulae sive vinculorum notio agnoscenda sit.

Quibus peractis quaeramus, quas in re coniugali imagines de verbo *ζευγνύναι* iisque vocabulis, quae cum illo cohaerent, Aeschylus et Euripides desumpserint.* Atque ille quidem haud ita multis usus est huius generis translationibus. Nam duo tantum inveniuntur loci, quorum altero nuptiae, quas Persae conciliaverant, priusquam cum Xerxe ad bellum contra Graecos profecti sunt, *ἀρτιζυγία* nominantur, altero illorum coniuges, quippe quae a maritis destitutae sint, *μονόζυγες* dicuntur. Utrumque autem exemplum in Persis nobis occurrit, ubi v. 135 seqq. legimus :

Περσίδες δ' ἀκροπενθεῖς ἑκάστα πόθῳ φιλάνορι
τὸν αἰχμάεντα θοῦρον εὐνα-
τῆρα προπεμψαμένα
λείπεται μονόζυξ

atque v. 541 seq. :

αἱ δ' ἁβρογόοι Περσίδες ἀνδρῶν
ποθέουσαι ἰδεῖν ἀρτιζυγίαν.

Largiore manu sparsa ab Euripide invenies huius generis similia. Atque eadem ratione, qua illud *ἀρτιζυγίαν* apud Aeschylum de nuptiis nuperrime conciliatis, apud illum *νεόζυγον* de femina, quae paullo ante viro nupsit, usurpatum invenimus Med. v. 804 seq. :

---

* Hac de re quae pluribus fere disputavit Gustavus Radtke (l. l, p. 32 seqq.), hic respicienda sunt.

οὔτε τῆς νεοζύγου
νύμφης τεκνώσει παῖδ'.

Deinde de ipso matrimonio intellegendum est illud ζυγὸν, quod eiusdem fabulae v. 241 seq. habemus :

κἂν μὲν τάδ' ἡμῖν ἐκπονουμέναισιν εὖ
πόσις ξυνοικῇ, μὴ βίᾳ φέρων ζυγόν.

Coniugis autem notione praeditum ter in Alcesti habemus vocabulum σύζυγος v. 314, 342, 384. Ad quem quidem usum prope accedunt, quae eiusdem fabulae v. 921 continentur :

ὡς — — — — — ξύζυγες εἶμεν,

de Admeto et Alcesti nuptiis coniunctis illa quidem intellegenda. Ac simili ratione verbum sive συζεύγνυμι sive παραζεύγνυμι de eo dicitur, qui matrimonii vinculis feminam et virum inter se coniungit. Habes autem alterius verbi usum metaphoricum ipsius quoque Alc. v. 165 seq. :

καὶ τῷ μὲν φίλην
ξύζευξον ἄλοχον, τῇ δὲ γενναῖον πόσιν,

alterius fr. 254 :

ἡγησάμην οὖν, εἰ παραζεύξειέ τις
χρηστῷ πονηρὸν λέκτρον, οὐκ ἂν εὐτεκνεῖν,
ἐσθλοῖν δ' ἀπ' ἀμφοῖν ἐσθλὸν ἂν φῦναι γόνον.

Passiva deinde notione de femina matrimonio cum viro coniuncta fr. 1041 dicitur :

οἰκοφθόρον γὰρ ἄνδρα κωλύει γυνὴ
ἐσθλὴ παραζευχθεῖσα καὶ σώζει δόμους.

Iam simplicis verbi ζευγνύναι formam medialem, quae uxorem ducere significat, Alc. v. 993 seq. habemus :

γενναιοτάταν δὲ πᾶσαν
ἐζεύξω κλισίαις ἄκοιτιν,

deinde Ion. v. 900 seq. :

ἵνα με λέχεσι μέλεα μέλεος
ἐζεύξω τὰν δύστανον

denique Troad. v. 670 seq. :

ἀκήρατον δέ μ' ἐκ πατρὸς λαβὼν δόμων
πρῶτος τὸ παρθένειον ἐζεύξω λέχος.

Eiusdemque verbi forma activa aut idem valet, quod medialis, aut in matrionium dare significat. Ac prioris quidem usus exempla haec sunt : Iph. Aul. v. 698 :

ταύτην δὲ θνητῶν ἢ θεῶν ἔζευξε τίς;

Ion. v. 10 :

οὗ παῖδ' Ἐρεχθέως Φοῖβος ἔζευξεν γάμοις,

Phoen. v. 1365 seq. :

ὦ πότνι' Ἥρα, σὸς γάρ εἰμ', ἐπεὶ γάμοις
ἔζευξ' Ἀδράστου παῖδα καὶ ναίω χθόνα,

Bacch. v. 468 :

οὔκ, ἀλλ' ὁ Σεμέλην ἐνθάδε ζεύξας γάμοις.

Accedit in matrimonium dandi notio, qua praeditum verbum illud invenimus fr. 24 :

κακὸν γυναῖκα πρὸς νέαν ζεῦξαι νέον,

Troad. v. 262 :

ταύταν λέγε τᾷ πάλος ἔζευξεν,

fr. 775 v. 57 seqq. :

περὶ γὰρ μεγάλων γνώμας δείξει
παῖδ' ὑμεναίοις, ὥς φησι, θέλων
ζεῦξαι νύμφης τε λεπάδνοις,

ubi additis verbis νύμφης τε λεπάδνοις efficitur, ut pleniorem ac vividiorem imaginem habeamus. Passiva denique huius verbi forma de coniugibus matrimonio altero cum altero coniungendis sive coniunctis usurpatur. Sunt autem huc afferenda, quae legimus Phoen. v. 336 :

σὲ δ', ὦ τέκνον, καὶ γάμοισι δὴ κλύω
ζυγέντα,

fr. 164 :

ζευχθεὶς γάμοισιν οὐκέτ' ἔσθ' ἐλεύθερος,

fr. 4 :

πέφυκε γάρ πως παισὶ πολέμιος γυνή,
τοῖς πρόσθεν ἡ ζυγεῖσα δευτέρα πατρί,

Ion. v. 343 :

τί χρῆμα δράσασ', εἰ θεῷ ξυνεζύγη,

ibidem v. 949 :

μόνη κατ' ἄντρον, οὗπερ ἐζεύχθην γάμοις,

Iph. Aul. v. 907 :

εἰ γὰρ μὴ γάμοισιν ἐζύγης,

El. v. 98 seq. :

φασὶ γάρ νιν ἐν γάμοις
ζευχθεῖσαν οἰκεῖν οὐδὲ παρθένον μένειν,

Suppl. v. 822 :

ἐμὸν δὲ μήποτ' ἐζύγη σῶμ' ἐς ἀνδρὸς εὐνάν.

Sequuntur locutiones, quibus adulescentes, qui matrimonii iugum nondum subierunt, sive puellae innuptae significentur. Atque de illis quidem usurpata Iph. Aul. v. 805 haec nobis occurrunt :

οἱ μὲν γὰρ ἡμῶν ὄντες ἄζυγες γάμων.

Ad puellas autem pertinent verba *παρθένοι τ' ἔτ' ἄζυγες* (Bacch. v. 694), *ἄζυγα λέκτρων* (Hipp. v. 546), *ἄζυγες γάμων* (ibidem v. 1425), *εὐνῆς ἄζυγες γαμηλίου* (Med. v. 673). A quibus vix diversa sunt vocabula *ἄδμητος* et *ἀδάματος*, quae Aeschyli Suppl. v. 149 seqq. inveniuntur, ubi haec legimus :

ἀδμήτας ἀδμήτα
ῥύσιος γενέσθω·
σπέρμα σεμνᾶς μέγα ματρὸς
εὐνὰς ἀνδρῶν, ἐή,
ἄγαμον ἀδάματον ἐκφυγεῖν.

Verbum enim *δαμάζω* sive *δαμάω* item de bestiis domandis proprie dici constat. Proferuntur autem verba illa a Danaidibus, quibus invitis Aegypti filii matrimonii iugum imponere student. Iam igitur a Diana, cum sit dea virginea, illae petunt, ut ipsarum virginitatem tueatur neque ad matrimonium se cogi admittat. Vocabulo deinde *νεόζυγος*, cuius supra mentionem fecimus, aliis duobus locis Euripideis *νεόδμητος* sive *νεοδμής* respondet. Legitur enim Med. v. 623 seq. :

χώρει. ποθῷ γὰρ τῆς νεοδμήτου κόρης
αἱρεῖ

atque ibidem v. 1366 :

ἀλλ' ὕβρις οἵ τε σοὶ νεοδμῆτες γάμοι.

Quibus vero locis interficiendi sive expugnandi sensu verbum *δαμάζειν* usurpatur, etsi haud scio an eos omittere nobis liceat, cum in iis notionem illam ita corroboratam esse concedendum sit, ut translationis vis vix iam sentiri videatur, tamen nonnulla exstant exempla, in quibus unde profecta sit imago satis perspicuum est. Quare digna videntur, quae huc adiungantur. Primum autem dicimus, quae Aeschyli Prom. v. 600 seqq. nobis occurrunt, ubi Io illa, quam Iuno in vaccam mutaverat, quid sibi acciderit imagine praeclare expressa ita exponit :

σκιρτημάτων δὲ νήστισιν αἰκίαις
λαβρόσυτος ἦλθον, Ἥρας
ἐπικότοισι μήδεσι δαμεῖσα.

Deinde in similitudine, quae exstat Sept. c. Th. v. 608 :

πληγεὶς θεοῦ μάστιγι παγκοίνῳ 'δάμη

addita voce *μάστιγι*, unde translatio profecta sit, optime indicatur. Praeterea huc pertinent loci, qui inveniuntur Suppl. v. 904 :

Ἰὼ πόλεως ἄγοι πρόμοι, δάμναμαι,

Prom. v. 164 :

δάμναται οὐρανίαν γένναν,

quae de Iove dicta sunt, ibidemque v. 425 seq. :

μόνον δὴ πρόσθεν ἄλλον ἐν πόνοις
δαμέντ' ἀκάμπτοις ἐσειδόμαν θεόν,

quibus verbis imago continetur non sane diversa ab illis, quae verbi *ζευγνύναι* usu translato ita efficiuntur, ut communio eaque molesta cum rebus abstractis significetur. Idemque de verbis illis dicendum erit, quae apud Euripidem fr. 683 v. 3 nobis occurrunt :

τίς αὐτὴν πημονὴ δαμάζεται;

Ex quo et ipsa huc referenda sunt, quae Alc. v. 980 legimus :

καὶ τὸν ἐν Χαλύβοις δαμάζεις σὺ βίᾳ σίδαρον.

Quae verba ad Necessitatem spectant, qua nihil maius esse chorus contendit. Quare quo modo iugo animalis naturam homo quasi infringit, ita ipsius ferri vim ac naturam, cum illud frangit, superare illa videtur. Nec praeterea ab hoc translationum genere alienum puto verbum *ὀχμάζειν,* quod habemus Aeschyli Prom. v. 5 :

τὸν λεωργὸν ὀχμάσαι

atque ibidem v. 618 :

σήμηνον ὅστις ἐν φάραγγί σ' ὤχμασεν.

Nam cum Stephanus in thes. Gr. l. explicationem afferat, *ὀχμάζειν* proprie esse *τὸν ἵππον ὑπὸ χαλινὸν ἀγαγεῖν ἢ ὑπὸ ὄχημα,* ad vinciendum sive vinctum Prometheum duobus illis locis translatum esse videtur. Idemque verbum apud Euripidem metaphorice usurpatum invenitur Orest. v. 264 seq. :

μέθες· μί' οὖσα τῶν ἐμῶν Ἐρινύων
μέσον μ' ὀχμάζεις, ὡς βάλῃς ἐς Τάρταρον.

Ipsum autem vocabulum *ὄχημα* Aeschyli Prom. v. 468 ad maris vehicula i. e. ad naves transferri bene hic adiungitur. Verba enim, quae ibi invenimus, haec sunt :

λινόπτερ' εὗρε ναυτίλων ὀχήματα.

Quibuscum conferri possunt, quae notione paullum diversa Euripides scripsit Iph. Taur. v. 409 seq. :

ἔπλευσαν ἐπὶ πόντια κύματα
νάϊον ὄχημα.

Neque enim de ullo maris vehiculo, sed de vectura, quae illo efficitur, verba *νάϊον ὄχημα* hoc loco dicuntur. Cui imagini haud minus apte audaciorem quandam metaphoram addere possumus de voce *χνοή*, qua currus axis significatur, ab Aeschylo desumptam. Qui quidem Sept. c. Th. v. 371 haec praebet :

σπουδῇ διώκων πομπίμους χνόας ποδῶν,

quibus pedes quasi rotae describuntur, quae una cum axibus circumferuntur. Propter celeritatem autem, qua promoventur, in comparationem rotas vocari perspicuum est.

Atque cum de curru sive de partibus eius agatur, ex Euripide praeterea huc referendum videtur verbum τροχηλατεῖν metaphorice usurpatum. Quod quidem cum proprie significet rotam impellere et ad cursum incitare, ad hominem transfertur, quem quis celeriter agitat et circumagit. Quare de Oreste, quem propter matris caedem Furiae insectantur, Or. v. 36 dicitur :

τὸ μητρὸς δ' αἷμά νιν τροχηλατεῖ,

quae vertere licet : matris autem caedes eum exagitat. Recte igitur Hesychius, Photius, Suidas τροχηλατεῖν explicant ἐλαύνειν. Eundemque huius verbi usum El. v. 1252 seq. habemus, ubi ipsi quoque Oresti, qui modo matrem interfecit, a Dioscuris haec nuntiantur :

δειναὶ δὲ Κῆρές σ' αἱ κυνώπιδες θεαὶ
τροχηλατήσουσ' ἐμμανῆ πλανώμενον.

Iam vero afferamus ea quae ab equis domandis praeterea profecta sunt similia, quorum satis multa de freno uterque poeta desumpsit. Atque vinculorum quidem notione usurpatam vocem χαλινὸς apud Aeschylum invenimus Prom. v. 561 seqq. :

τίνα φῶ λεύσσειν
τόνδε χαλινοῖς ἐν πετρίνοισιν
χειμαζόμενον ;

Deinde quae ibidem v. 671 seq. legimus :

ἀλλ' ἐπηνάγκαζέ νιν
Διὸς χαλινὸς πρὸς βίαν πράσσειν τάδε,

ad Iovis iussum pertinent, qui quasi freno regens homines cogit, ut ipsius voluntati oboediant. De homine denique contumaci, qui equi instar quasi frenum pati nescit, Agam. v. 1066 haec dicuntur :

χαλινὸν δ' οὐκ ἐπίσταται φέρειν.

Quae vero Euripides fr. 495 v. 2 seqq. scripsit :

ἐγὼ δέ πως
μισῶ γελοίους, οἵτινες σοφῶν πέρι
ἀχάλιν' ἔχουσι στόματα,

ad homines spectant, qui linguis, ut ita dicamus, frenos inicere sive eas continere nesciunt. Atque etiam in re coniugali ab Euripide similia satis perspicua de freno petita esse intelleges vel ex iis, quae fr. 466 tibi occurrunt :

οὐ γάρ ποτ' ἄνδρα τὸν σοφὸν γυναικὶ χρὴ
δοῦναι χαλινοὺς οὐδ' ἀφέντ' ἐᾶν κρατεῖν,

vel ex iis, quae Androm. v. 177 seq. leguntur :

οὐδὲ γὰρ καλὸν
δυοῖν γυναικοῖν ἄνδρ' ἓν' ἡνίας ἔχειν.

Idem enim, atque *χαλινός*, valet vocabulum *ἡνία*, quod praeterea fr. 413 invenimus :

μήτ' εὐτυχοῦσα πᾶσαν ἡνίαν χάλα,

quibus verbis, ne quis in rebus secundis libidinibus frena permittat i. e. omnibus libidinibus deditus sit, admonetur. Tertium quod habemus vocabulum notione freni praeditum, *στόμιον* est, quod metaphorice dictum semel apud utrumque poetam nobis occurrit. Ac verbis quidem, quae Aeschyli Agam. v. 131 seqq. exstant :

οἷον μή τις ἄτα θεόθεν κνεφάσῃ προτυ-
πὲν στόμιον μέγα Τροίας,

exercitus Graecus magnum Troiae frenum vocatur, quippe qui, ut frenum equi naturam, ita urbis illius vim infregerit. Ex Euripide autem huc afferendus est Iph. Taur. v. 935 :

ὥσθ' αἱματηρὰ στόμι' ἐπεμβαλεῖν ἐμοί,

quae verba de Furiis dicuntur, a quibus quasi frenis sanguineis sibi iniectis agitatum se esse Orestes contendit. Vividam deinde ac luculentam apud Aeschylum translationem habemus Choeph. v. 1022 seq., ubi verba :

ὥσπερ ξὺν ἵπποις ἡνιοστροφῶ δρόμου
ἐξωτέρω

ab eodem Oreste proferuntur, quem iam Furiae persequi incipiunt. Nec praetereundae sunt translationes quaedam ab equitando profectae, in quibus apud Aeschylum quidem verbum *καθιππάζω* sive *καθιππάζομαι*, quod equo aliquem

proculcare proprie significat, neglegendi sive opprimendi notione usurpatur. Exstant autem exempla omnia in Eum., ubi v. 150 leguntur :

νέος δὲ γραίας δαίμονας καθιππάσω,

v. 731 :

ἐπεὶ καθιππάζει με πρεσβῦτιν νεός,

v. 778 seq. = v. 808 seq. :

Ἰὼ θεοὶ νεώτεροι, παλαιοὺς νόμους
καθιππάσασθε κἀκ χερῶν εἵλεσθέ μου.

Praeterea huc pertinent, quae apud Euripidem Herc. fur. v. 1001 nobis occurrunt :

κἀνθένδε πρὸς γέροντος ἱππεύει φόνον.

Quo loco ἱππεύει de Hercule dicitur, qui liberis suis et uxore necatis iam omni furoris impetu in patris caedem irruit. De ferocia autem, quo quis equo in pugnam vehitur, ad furibundum impetum verbum ἱππεύειν transferri, quo ille ad propinquos interficiendos accurrit, consentaneum est. Idemque verbum de Favonio magna vi irrumpente usurpari ex Phoen. v. 211 seqq. intelleges, ubi haec tibi occurrunt :

Ζεφύρου πνοαῖς
ἱππεύσαντος ἐν οὐράνῳ
κάλλιστον κελάδημα.

Iam igitur de translationibus disputandum est, quae de accelerando equorum cursu boumque gressu desumptae sunt. In quibus primas partes obtinent, quae de vocibus κέντρον et οἶστρος sive de iis, quae aut compositione aut derivatione ab illis ortae sunt, profectae inveniuntur. Ac de stimulo quidem petitam apud Aeschylum comparationem habemus, ex qua quo modo aurigae hoc instrumento uti solerent ad equos incitandos poetae non ignotum fuisse perlucet. Est enim illa comparatio Eum. v. 155 seqq. ita expressa :

ἐμοὶ δ' ὄνειδος ἐξ ὀνειράτων μολὸν
ἔτυψεν δίκαν διφρηλάτου

μεσολαβεῖ κέντρῳ
ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν.

Atque etiam apud Euripidem satis perspicua huius generis imago Herc. fur. v. 20 nobis occurrit, ubi verba :

Ἥρας ὑπὸ
κέντροις δαμασθεὶς

de Hercule dicuntur, quem ex Alcmena a Iove genitum, cum sit aemulae filius, dei uxor Iuno odio incensa persequitur et quasi stimulo coercet. De Phaedra deinde amore erga Hippolytum ardente, Hipp. v. 38 seq. dicitur :

ἐνταῦθα δὴ στένουσα κἀκπεπληγμένη
κέντροις Ἔρωτος ἡ τάλαιν' ἀπόλλυται,

atque eodem spectant, quae ibidem v. 1301 seqq. leguntur :

τῆς γὰρ ἐχθίστης θεῶν
ἡμῖν, ὅσαισι παρθένειος ἡδονή,
δηχθεῖσα κέντροις παιδὸς ἠράσθη σέθεν.

Similiter de morbi stimulis, quibus homines vexantur et conficiuntur, intellegenda sunt Aeschyli Prom. v. 596 seq. verba :

θεόσυτόν τε νόσον ὠνομάσας, ἃ
μαραίνει με χρίουσα κέντροις.

A quibus vix diversa sunt sive quae ibidem v. 692 seq. inveniuntur :

πήματα, λύματα, δείματ' ἀμφήκει
κέντρῳ ψύχειν ψυχὰν ἐμάν,

sive quae Suppl. v. 109 seq. ita expressa sunt :

καὶ διάνοιαν μαινόλιν
κέντρον ἔχων ἄφυκτον

atque a Bothio bene verti videntur : „furibundumque animi affectum seu stimulum inevitabilem sentiens.“ Incitamentum autem vox *κέντρον* valet Eum. v. 427 :

ποῦ γὰρ τοσοῦτο κέντρον ὡς μητροκτονεῖν;

Praeterea ad linguae maledicae contumelias, quibus quasi stimulis homines violantur, ab Euripide vocabulum *κέντρον* transfertur Herc. fur. v. 1288 :

γλώσσης πικροῖς κέντροισι κληδουχούμενοι

et Suppl. v. 242 :

ἐς τοὺς ἔχοντας κέντρ' ἀφιᾶσιν κακά.

Sequitur vocabulum ἀντίκεντρος, quod est instar stimuli sive incitamenti. Quo modo usurpatum apud Aeschylum illud invenimus Eum. v. 136 :

τοῖς σώφροσιν γὰρ ἀντίκεντρα γίγνεται
(scil. τὰ ὀνείδη)

atque ibidem v. 465 seqq. :

καὶ τῶνδε κοινῇ Λοξίας ἐπαίτιος,
ἀλγῆ προφωνῶν ἀντίκεντρα καρδίᾳ,
εἰ μή τι τῶνδ' ἔρξαιμι τοὺς ἐπαιτίους.

Accedit apud eundem poetam adiectivum κεντροδήλητος, quo quasi stimulis violantes dolores (secundum librorum lectiones) describuntur Suppl. v. 562 seqq. :

μαινομένα πόνοις ἀτίμοις ὀδυναῖς τε κεν-
τροδαλήτοις θυίας Ἥρας.

Nec praetereundum est verbum κεντεῖν de eadem stirpe derivatum, quod stimulando sive pungendo vulnerare vel interficere significat. Quae vero huc pertinent exempla, ad unum omnia apud Euripidem nobis occurrunt, cuius Androm. v. 1118 seq. haec legimus :

οἱ δ' ὀξυθήκτοις φασγάνοις ἁπλισμένοι
κεντοῦσ' ἀτευχῆ παῖδ' Ἀχιλλέως λάθρα,

Hec. v. 1161 seq. :

εὐθὺς λαβοῦσαι φάσγαν' ἐκ πέπλων πόθεν
κεντοῦσι παῖδας,

ibidem v. 1169 seqq. :

ἐμῶν γὰρ ὀμμάτων
πόρπας λαβοῦσαι, τὰς ταλαιπώρους κόρας
κεντοῦσιν, αἱμάσσουσιν,

Herc. fur. v. 319 seq. :

ἰδοὺ πάρεστιν ἥδε φασγάνῳ δέρη
κεντεῖν, φονεύειν, ἱέναι πέτρας ἄπο.

Alterum, quod commemoravimus, animalium incitamentum

oestrus est, qui cum illa pungit, ad effrenatum cursum ea impellit, ut quasi insanire videantur. Quare de ipsa insania vocabulum *οἶστρος* usurpatur. Cuius usus exemplum habes Euripidis Hipp. v. 1298 seqq. :

ἀλλ᾽ ἐς τόδ᾽ ἦλθον, παιδὸς ἐκδεῖξαι φρένα
τοῦ σοῦ δικαίαν, ὡς ὑπ᾽ εὐκλείας θάνῃ,
καὶ σῆς γυναικὸς οἶστρον.

Deinde Orest. v. 791 :

μή θεαί μ᾽ οἴστρῳ κατάσχωσ᾽

ipsam quoque insaniam vocabulo illo significari, ex iis, quae sequuntur v. 793 :

εὐλαβοῦ λύσσης μετασχεῖν τῆς ἐμῆς

satis apparet. Atque eodem pertinent et quae Bacch. v. 664 seq. legimus :

βάκχας ποτνιάδας εἰσιδών, αἳ τῆσδε γῆς
οἴστροισι λευκὸν κῶλον ἐξηκόντισαν,

et quae Herc. fur. v. 1144 ipse Hercules profert :

ποῦ δ᾽ οἶστρος ἡμᾶς ἔλαβε;

Accedunt loci Euripidei, quibus pro impetu quodam furibundo *οἶστρος* dicitur. Quo sensu usurpatum vocabulum nobis occurrit Herc. fur. v. 861 seq. :

οὔτε πόντος οὔτε κύμασιν στένων λάβρος
οὔτε γῆς σεισμὸς κεραυνοῦ τ᾽ οἶστρος ὠδῖνας πνέων

et Iph. Taur. v. 1455 seq., ubi Menelaus dicitur :

περιπλῶν καθ᾽ Ἑλλάδα
οἴστροις Ἐρινύων.

Furoris praeterea notione praeditam vocem illam invenimus Iph. Aul. v. 544 seqq. :

μάκαρες οἳ μετρίας θεοῦ μέτα τε σωφροσύνας μετ-
έσχον λέκτρων Ἀφροδίτας,
γαλανείᾳ χρησάμενοι μαινομένων οἴστρων

atque Iph. Taur. v. 394 seqq. :

ἵν᾽ οἶστρος ὁ ποτώμενος Ἀργόθεν
ἄξενον ἐπ᾽ οἶδμα διεπέρασεν Ἰοῦς.

Ad quod quidem exemplum cum proxime accedant quaedam

ab Aeschylo adhibita, bene hic adiunguntur. Ac primum dicimus Prom. v. 567 :

χρίει τις αὖ με τὰν τάλαιναν οἶστρος,

ad quem, cum scholiasta explicaret : *ἐμμανὴς οὖσα ὑπὸ τοῦ οἴστρου φαντάζεται,* suo iure Weilius adnotasse videtur : „At verba sequentia docent oestrum hic translate pro furore dictum esse, sapienter poeta, cum res sub spectatoris oculis agatur, asilum, vaccarum pestem, non monstrante, sed tamen verbo ipso quodammodo significante, eadem arte qua Ionem non mutavit in vaccam, sed cornua capiti virgineo imponere satis habuit (588, 674). Attamen infra in Ionis narratione verba *ὀξυστόμῳ μύωπι* v. 675 sine dubio de ipso insecto accipienda.“ Sed alii in eadem fabula inveniuntur loci, ubi translatum illius vocis usum habemus. Nam quae de v. 567 exposuit vir ille doctissimus, eadem ad v. 880 referri possunt, ubi haec habemus Ionis verba :

οἴστρου δ' ἄρδις χρίει μ' ἄπυρος,

a quibus non diversa sunt, quae Suppl. v. 540 seqq. leguntur :

ἔνθεν Ἰὼ
οἴστρῳ ἐρεσσομένα
φεύγει ἁμαρτίνοος.

Atque eandem Inachi filiam terroris stimulo percussam requiescere non posse, ex prioris fabulae v. 580 seq. apparet :

οἰστρηλάτῳ δὲ δείματι δειλαίαν
παράκοπον ὧδε τείρεις.

Deinde furore stimulata dicitur ibidem v. 589 :

πῶς δ' οὐ κλύω τῆς οἰστροδινήτου κόρης,

cui loco addendum est illud *οἰστροδόνητον Ἰὼ*, quod Suppl. v. 573 exstat. Idem autem exprimitur Prom. v. 681 seq. :

οἰστροπλὴξ δ' ἐγὼ
μάστιγι θείᾳ γῆν πρὸ γῆς ἐλαύνομαι.

Eademque significatione dictum apud Euripidem invenimus adiectivum *οἰστροπλὴξ* Bacch. v. 1227 seqq. :

καὶ τὴν μὲν Ἀκτέων' Ἀριστέᾳ ποτὲ
τεκοῦσαν εἶδον Αὐτονόην Ἰνώ θ' ἅμα
ἔτ' ἀμφὶ δρυμοῖς οἰστροπλῆγας ἀθλίας.

Restat verbum *οἰστράω*, quod proprie de asilo dictum, qui pungendo animalia exstimulat, ad homines transfertur atque aut transitive usurpatum impetu furibundo aliquem depellere aut intransitiva notione praeditum furere sive furentis instar vagari significat. Prioris usus exempla apud Euripidem inveniuntur, cuius Bacch. v. 32 seq. a Dionysio haec proferuntur :

τοιγάρ νιν αὐτὰς ἐκ δόμων ᾤστρησ' ἐγὼ
μανίαις· ὄρος δ' οἰκοῦσι παράκοποι φρενῶν.

Neque ab his diversa sunt, nisi quod forma passiva verbum *οἰστράω* usurpatur, quae eiusdem fabulae v. 116 seqq. legimus :

ἔνθα μένει
θηλυγενὴς ὄχλος
ἀφ' ἱστῶν παρὰ κερκίδων τ'
οἰστρηθεὶς Διονύσῳ.

Intransitivam autem, quam indicavimus, verbi significationem Iph. Aul. v. 77 seq. habemus, ubi de Menelao dicitur :

ὁ δὲ καθ' Ἑλλάδ' οἰστρήσας δρόμῳ
ὅρκους παλαιοὺς Τυνδάρεω μαρτύρεται,

atque eiusdem usus exemplum praebent verba, quae apud Aeschylum Prom. v. 836 seq. nobis occurrunt :

ἐντεῦθεν οἰστρήσασα τὴν παρακτίαν
κέλευθον ἦξας πρὸς μέγαν κόλπον Ῥέας.

Quibus accedunt imagines, quae de flagello, quo item animalia illa incitari solent, deductae inveniuntur. In quibus enumerandis initium facimus ab ea, quae Agam. v. 641 seq. exstat ita expressa :

πολλοὺς δὲ πολλῶν ἐξαγισθέντας δόμων
ἄνδρας διπλῇ μάστιγι, τὴν Ἄρης φιλεῖ.

Nam duplex illud flagellum, quod Mars amat quoque tamquam hominum cruce utitur, gladius est ac pestilentia,

quae eadem *φοινίαν ξυνωρίδα* appellari supra commemoravimus. Similiter usurpatam invenimus vocem *μαράγνη* Choeph. v. 375 seq. :

ἀλλὰ διπλῆς γὰρ τῆσδε μαράγνης
δοῦπος ἱκνεῖται,

quae verba de duplici illa calamitate intellegenda sunt, qua chorus se perculsum esse dicit, quod Agamemnon mortuus sit, Aegisthus et Clytaemnestra regnantes liberos illius opprimant. Atque quod illo loco, quem paullo ante ex Prom. v. 681 seq. laudavimus, legitur *μάστιγι θείᾳ*, ad universam calamitatem a Iunone dea Ioni excitatam spectat. Neque neglegenda sunt, quae Eum. v. 159 seq. legimus :

πάρεστι μαστίκτορος δαΐου δαμίου
βαρὺ τὸ περίβαρυ κρύος ἔχειν,

ubi *μαστίκτωρ* Clytaemnestra dicitur, quae Furiarum chorum, cum somno ab Orestis insectatione prohiberi potuerit, conviciis ita perculit, ut quasi carnificis flagello verberatum se cohorruisse ille dicat.

Iam vero, quae de ipso agri cultu profectae sunt, imagines pertractandas aggrediamur. Atque cum Lueckius taceat de genere frequentissimo, quod verbis *ἀρόω, ἄρουρα, ἀρώσιμος, γύης, ἄλοξ, χέρσος* continetur, primum quod tam saepe illius generis vis atque natura a Sophoclis interpretibus exposita sit, ut ipsi desit, quod addere possit, deinde quia tam late pateat apud Graecos hic usus, ut ad propriam et singularem dictionis Sophocleae indolem cognoscendam nihil fere valeat, ne nobis quidem, quae de huius generis verbis ab Aeschylo et Euripidae desumpta sunt similia, ad unum omnia enumeranda vel illustranda esse videntur. Velim autem respicias comparationem quandam ab Euripide usurpatam, qua imprimis bene expressa atque illustris similitudo animis nostris repraesentatur. Dico enim, quae Hec. v. 592 seqq. inveniuntur :

οὔκουν δεινὸν, εἰ γῆ μὲν κακὴ
τυχοῦσα καιροῦ θεόθεν εὖ στάχυν φέρει,

χρηστὴ δ' ἁμαρτοῦσ' ὧν χρεὼν αὐτὴν τυχεῖν
κακὸν δίδωσι καρπόν, ἀνθρώποις δ' ἀεὶ
ὁ μὲν πονηρὸς οὐδὲν ἄλλο πλὴν κακός,
ὁ δ' ἐσθλὸς ἐσθλός, οὐδὲ συμφορᾶς ὕπο
φύσιν διέφθειρ', ἀλλὰ χρηστός ἐστ' ἀεί.

Nec minus digna videtur ad quam animum attendamus altera imago Euripidea Suppl. v. 447 seqq. ita expressa :

πῶς οὖν ἔτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἰσχυρὰ πόλις,
ὅταν τις ὡς λειμῶνος ἠρινοῦ στάχυν
τολμᾶς ἀφαιρῇ καπολωτίζῃ νέους;

Ex Aeschylo deinde afferenda videntur, quae Agam. v. 1389 seqq. legimus :

κἀκφυσιῶν ὀξεῖαν αἵματος σφαγὴν
βάλλει μ' ἐρεμνῇ ψακάδι φοινίας δρόσου
χαίρουσαν οὐδὲν ἧσσον ἢ διοσδότῳ
γάνει σπορητὸς κάλυκος ἐν λοχεύμασιν.

Praeterea insignior quaedam, quae huc pertineat, vocabuli *πεδίον* translatio apud utrumque poetam nobis occurrit. Nam Aeschylus fr. 150 scripsit :

δελφινοφόρον πόντου πεδίον
διαμειψάμενοι,

ubi quo iure *πόντου πεδίον* planum mare poeta appellare potuerit, satis perspicuum est. Nec minus facile intelleguntur, quae apud Euripidem Phoen. v. 209 seq. legimus :

περιρρύτων
ὑπὲρ ἀκαρπίστων πεδίων,

quibus verbis *Ἰόνιον πόντον*, quod paullo ante commemoravit, poeta significat. Atque ex hac vocabuli *πεδίον* translatione verbi *ἀρόω* usum metaphoricum, quem huc afferendum putamus, necessitate quadam sequi negari non potest. Dicimus eum, quem apud eundem Euripidem fr. 672 v. 3 seq. habemus :

τροφὸς
θάλασσα· τήνδ' ἀροῦμεν.

Restat vocabulum *ἄροτος*, quod translatione singulari ab

Aeschylo usurpatum Hesychius tradit, cuius explicationem fr. 262 habemus : *ἄροτον· τὸν ὅλκον τοῦ Ἕκτορος ἢ τὸ ἀντίσταθμον· Αἰσχύλος Φρυξίν.* Ad quae non sine causa Hermannus adnotat : „Interpretationum quas Hesychius attulit veram esse oportet priorem; neque enim fieri potuit, ut pondus par diceretur ἄροτος." Diversam autem ab hac eiusdem vocis significationem, quippe quae ad liberos procreandos spectet, apud Euripidem invenimus Ion. v. 1094 seq.:

ὅσον εὐσεβίᾳ κρατοῦμεν
ἄδικον ἄροτον ἀνδρῶν.

Nam codicum scripturam *ἄροτρον*, cum ferri nequeat, in *ἄροτον* mutandam esse quivis concedet.

Quibus peractis sequitur, ut in similia de iugo armentis demendo et quiete danda desumpta inquiramus. Quo quidem in genere quod unum apud Sophoclem translate dictum inveniri Lueckius contendit verbum *λωφᾶν*, id etiam apud Aeschylum nobis occurrit. Quid vero proprie significet hoc verbum quoque modo translatio fiat, recte Lueckius explicasse videtur. Monet enim, cum eadem ratione verbum *λωφᾶν* comparatum sit ac verba *νωμᾶν, στρωφᾶν,* alia eiusdem generis, vim illud habere frequentativam debere. Iam igitur cum ex voce *λόφος* derivari *λωφᾶν* appareat, nihil aliud significari posse hoc verbo contendit nisi „collum huc illuc versare, collum quatere." Esse autem hoc iumenti, quod modo iugo solutum laetitia exsultet. Quam explicationem secutus bene addit : „est igitur *πόνου λωφᾶν* ex labore i. e. superato labore cervices antea tanquam iugo pressas et rigidas factas versando relaxare atque reficere." Comprobatur interpretatio iis, quae apud lexicographos legimus. Ex quibus Hesychius haec praebet : *λωφῆσαι· ἀπὸ τοῦ τραχήλου τὸ ἄχθος ἀποθέσθαι· παῦσαι, λῆξαι, ἀναπαῦσαι, ἡσυχάσαι,* Photius et Suidas : *κυρίως δὲ εἴρηται λωφῆσαι ἐπὶ βοῶν τὸ τὸ βάρος ἀπὸ τοῦ τραχήλου ἀποθέσθαι· λόφος γὰρ ὁ τράχηλος.* Vividam igitur ac prae-

stantem verbi illius translationem esse concedes, qua usus Aeschylus Prom. v. 376 scripsit :

ἔστ' ἂν Διὸς φρόνημα λωφήσῃ χόλου

atque eiusdem fabulae v. 654 :

ὡς ἂν τὸ Δῖον ὄμμα λωφήσῃ πόθου.

Aliud verbum, quod huc pertinet, *ἀποζευγνύναι* saepius ab Euripide translate usurpatum non prorsus idem valet, sed simpliciter de communione, quae iugo effecta erat, solvenda usurpatur neque aliud quidquam nisi seiungere sive disiungere significat. Nam iugum si demis iis, qui cum illo coniuncti sunt, alterum ab altero seiungis. Invenitur autem hoc verbum Med. v. 1017 :

οὔτοι μόνη σὺ σῶν ἀπεζύγης τέκνων,

quae verba ad ipsam Medeam pertinent a liberis suis seiungendam. Neque ab hoc diversus est locus, qui Herc. fur. v. 1375 seq. exstat, ubi hunc in modum heros ille, a quo nomen fabulae poeta petivit, conqueritur :

ὡς ἀθλίως πέπραγα κἀποζεύγνυμαι
τέκνων γυναικός τ'.

Quibus accedunt et quae El. v. 284 sororem allocutus Orestes profert :

νέα γάρ, οὐδὲν θαῦμ', ἀπεζεύχθης νέου,

et quae Phoen. v. 988 de se ipso dicit Menoeceus, Creontis filius :

μητρὸς στερηθεὶς ὀρφανός τ' ἀποζυγείς.

Neque ab hoc genere aliena est imago illa, quae Hipp. v. 545 seqq. continetur, ubi Venus Iolam de domo seiungens vel deducens (*οἴκων ζεύξασ' ἄπο*) Alcmenae filio in matrimonium dedisse dicitur. Idem enim habemus verbum *ἀποζευγνύναι* praepositione ab illo dissoluta atque cum nomine substantivo coniuncta. Eodemque sensu *διαζευγνύναι* usurpatur El. v. 1323 seq., ubi ad fratrem conversa Orestis soror haec dicit :

διὰ γὰρ ζευγνῦσ' ἡμᾶς πατρίων
μελάθρων μητρὸς φόνιοι κατάραι.

Tum etiam in re coniugali dicitur *γάμων ἀποζεύγνυσθαι*, quod a matrimonio seiungi sive illius participem non fieri significat. Ita igitur intellegenda sunt, quae Suppl. v. 790 seq. legimus :

τί μὲν γὰρ ἤλπιζον ἂν πεπονθέναι
πάθος περισσὸν, εἰ γάμων ἀπεζύγην;

Itemque ad rem coniugalem spectant Troad. v. 662 seqq., ubi verbo *διαζεύγνυσθαι* comparatione usurpato haec ab Andromache proferuntur :

ἀπέπτυσ' αὐτὴν, ἥτις ἄνδρα τὸν πάρος
καινοῖσι λέκτροις ἀποβαλοῦσ' ἄλλον φιλεῖ.
ἀλλ' οὐδὲ πῶλος ἥτις ἂν διαζυγῇ
τῆς συντραφείσης ῥᾳδίως ἕλξει ζυγόν·
καίτοι τὸ θηριῶδες ἄφθογγόν τ' ἔφυ
ξυνέσει τ' ἄχρηστον τῇ φύσει τε λείπεται.

Denique quae ex Aeschylo afferenda est similitudo, magis iam singularem verbi *ἀποζευγνύναι* usum praebet. Dicimus enim eam, quae Choeph. v. 676 nobis occurrit :

ὥσπερ δεῦρ' ἀπεζύγην πόδας,

quae verba recte a Weilio hunc in modum explicantur : „ita instructus, ut pedibus solutis (i. e. itinere peracto) huc adveni.“ Probandam igitur putat scholiastae explicationem, qui haec adnotat : *τῆς ὁδοιπορίας ἀπέλυσα ἐπὶ τῷ ξενισθῆναι παρ' ὑμῖν. Ἐκ μεταφορᾶς τῶν ἀπολυομένων τοῦ ζυγοῦ ἵππων καὶ ἐπὶ φάτνην ὁρμωμένων.* Duae apud Aeschylum restant imagines satis perspicuae de iugo armentis demendo desumptae, quarum altera Choeph. v. 962 invenitur :

μέγα δ' ἀφῃρέθη ψάλιον οἰκίων,

altera Pers. v. 592 seqq. :

λέλυται γὰρ
λάος ἐλεύθερα βάζειν
ὡς ἐλύθη ζυγὸν ἀλκᾶς.

Sequitur ut de imaginibus disputemus, quae de seminibus spargendis plantisque ponendis profectae sunt. Atque

de verbis quidem σπείρω et φυτεύω omnibusque iis, quae cum illis cohaerent, satis multas translationes petitas esse Lueckium secuti commemorasse satis habemus, quia, ut antea vocabulorum ἄρουρα, ἀρόω, ceterorum, ita etiam verborum illorum usum metaphoricum tam late patere dicendum est, ut vix inde propriam sive Sophocleae sive alius poetae dictionis indolem cognoscas. Diligentius autem inquirendum est in imagines de vocabulo ῥίζα profectas, cuius generis apud Aeschylum Agam. v. 966 seq. plena ac perlucida similitudo exstat ita expressa :

ῥίζης γὰρ οὔσης φυλλὰς ἵκετ' ἐς δόμους,
σκιὰν ὑπερτείνασα σειρίου κυνός.

Quibus verbis Agamemnon cum radice comparatur, qua viva arbor frondescat ac quasi umbraculo hominum domus a solis radiis tueatur. Similiter enim vivus Agamemnon ab omnibus fortunae calamitatibus domum defendere dicitur. De Typhonte deinde Prom. v. 364 seq. legimus :

κεῖται στενωποῦ πλησίον θαλασσίου
ἰπούμενος ῥίζαισιν Αἰτναίαις ὕπο,

ubi ῥίζαισιν Αἰτναίαις de infimo monte intellegendum est, quod vel lingua latina exprimere licet de „montis radicibus." Ibidem v. 1047 seq. verbis :

χθόνα δ' ἐκ πυθμένων αὐταῖς ῥίζαις
πνεῦμα κραδαίνοι

terram tempestatis vi funditus tollendam esse Prometheus dicit. Praeterea si locum illum respicimus, qui Sept. c. Th. v. 753 seqq. nobis occurrit, ubi a Laio genitus esse dicitur Oedipus,

ὅστε ματρὸς ἁγνὰν
σπείρας ἄρουραν, ἵν' ἐτράφη,
ῥίζαν αἱματόεσσαν
ἔτλα,

verba ῥίζαν αἱματόεσσαν ad liberos illius spectare videmus, qui ex incesto eius cum matre coniugio prodierunt. Restat vocabulum ῥίζωμα quod semel apud Aeschylum invenitur

in fabula, quam modo commemoravimus, ubi v. 412 seqq. undique perfecta imago ita expressa est :

σπαρτῶν δ' ἀπ' ἀνδρῶν, ὧν Ἄρης ἐφείσατο,
ῥίζωμ' ἀνεῖται, κάρτα δ' ἔστ' ἐγχώριος,
Μελάνιππος.

Iam afferendae sunt huius generis imagines, quibus Euripides usus est. Apud quem hanc imprimis vocabuli ῥίζα translationem satis perspicuam invenimus, qua is significatur, a quo quis originem deducit. De Ione igitur, Apollinis et Creusae filio, vocabulum illud usurpatur, quippe a quo quattuor liberos orituros esse dicatur. Exstat enim locus, quem dicimus, Ion. v. 1575 seq. ita expressus :

οἱ τοῦδε γὰρ
παῖδες γενόμενοι τέσσαρες ῥίζης μιᾶς.

Eundemque usum habemus Iph. Taur. v. 609 seq. :

ὦ λῆμ' ἄριστον, ὡς ἀπ' εὐγενοῦς τινος
ῥίζης πέφυκας τοῖς φίλοις τ' ὀρθῶς φίλος,

quibus verbis Iphigenia ignorans, cum fratre se colloqui, Orestis ingenuitatem laudat, propter quam a patre ingenuo eum prognatum esse putat. Neque tamen animantium solum procreatorem, sed etiam rerum quas dicimus abstractarum originem sive fontem ῥίζαν appellari ex fr. 904 intellegitur, cuius v. 9 seqq. haec leguntur :

πέμψον μὲν φῶς ψυχῆς ἐνέρων
τοῖς βουλομένοις ἄθλους προμαθεῖν
πόθεν ἔβλαστον, τίς ῥίζα κακῶν.

Restat vocabulum πρόρριζος, quod radicitus sive funditus valet, Hipp. v. 683 seq. usurpatum :

Ζεύς σ' ὁ γεννήτωρ ἐμὸς
πρόρριζον ἐκτρίψειεν, οὐτάσας πυρί.

Ad quam quidem metaphoram prope accedit vocabuli πρεμνόθεν, quod a stirpe proprie significat, usus Aeschyleus. Invenimus enim cum verbo, quod exstinguere valet, vocabulum illud coniunctum, ex quo funditus perdendi sive evertendi notio evadit. Exstant autem duo huius generis

exempla, quorum alterum Sept. c. Th. v. 71 seq. invenitur :

μή μοι πόλιν γε πρεμνόθεν πανώλεθρον
ἐκθαμνίσητε δηάλωτον,

alterum ibidem v. 1055 seq. :

Κῆρες Ἐρινύες, αἵτ' Οἰδιπόδα
γένος ὤλλυτε πρεμνόθεν οὕτως.

Sequitur verbum *ἀνατέλλειν*, quod de emergentibus plantis ad crines in figura humana crescentes Aeschylus transtulit eiusdem fabulae, quam modo commemoravimus, v. 534 seq. :

στείχει δ' ἴουλος ἄρτι διὰ παρηΐδων
ὥρας φυούσης, ταρφὺς ἀντέλλουσα θρίξ

atque Choeph. v. 282 :

λευκὰς δὲ κόρσας τῇδ' ἐπαντέλλειν νόσῳ.

Audaciore autem verbi *προσανατέλλειν* translatione usus Euripides Suppl. v. 687 seq. pulverem, qui ad caelum evolvitur, nominat :

τὴν εἰς οὐρανον
κόνιν προσαντέλλουσαν.

Quae vero plantae, ubi in lucem progenitae sunt, marcescunt et arefiunt, eae *αὐαίνεσθαι* dicuntur, a quo quidem verbo duae ab Aeschylo translationes petitae sunt. Primum enim Choeph. v. 260 seq. legitur :

οὔτ' ἀρχικός σοι πᾶς ὅδ' αὐανθεὶς πυθμὴν
βωμοῖς ἀρήξει βουθύτοις ἐν ἤμασιν,

ubi quae inveniuntur verba *πᾶς ὅδ' αὐανθεὶς πυθμὴν* de exstincto sive exstinguendo Lai genere intellegenda sunt. Ad Prometheum deinde, qui vinculis constrictus quasi tabescit, Prom. v. 145 seqq. verba pertinent :

σὸν δέμας εἰσιδοῦσα
πέτρᾳ ποσαναινόμενον
ταῖσδ' ἀδαμαντοδέτοισι λύμαις.

A verbo autem *αὔειν* item arefacere sive siccare significante substantivum *αὐονή* derivatur, quod in Eum. translate positum invenitur. Legimus enim v. 331 seqq. = 344 seqq. :

ὕμνος ἐξ Ἐρινύων
δέσμιος φρενῶν, ἀφόρ-
μικτος, αὐονὰ βροτοῖς.

Quod vocibus explicatur non solum ξηρασία et αὐχμὸς, sed etiam φθορὰ, κακοπάθεια, λύπη. Sunt nimirum significationes, quibus quid translatione usus poeta dixerit proprie redditur. Sed ut imaginis vim planius exponamus, Furiarum hymnum ut tabem quandam hominum describi, quippe qui illos quasi tabescere faciat, dicendum erit. Eodem porro referendum esse verbum μαραίνεσθαι et ex Eustathio discimus, qui tradit, de floribus dici illud verbum, et ex Hermogene, qui p. 416 explicat : ἐπὶ ἀνθέων τῶν μαραινομένων τὸ καταρρεῖν. Idem igitur valet, quod illud αὐαίνεσθαι, atque activa forma μαραίνω scribitur pro marcescere facio sive marcidum reddo. Translate autem positum ubi hoc verbum nobis occurrit, absumendi et exstinguendi notione praeditum est vel prorsus in universum dicitur pro affligere aliqua re. Cuius quidem usus exempla, in quibus active illud verbum usurpatur, apud Aeschylum inveniuntur et loco illo Prom. v. 596 seq. exstante, quem de vocis κέντρον usu translato disputantes supra iam commemoravimus :

θεόσυτόν τε νόσον
ὠνόμασας, ἃ μαραίνει με χρίουσα κέντροις

et Eum. v. 139 :

μάραινε δευτέροις διώγμασιν.

Atque eiusdem fabulae v. 280 formam passivam habemus :

βρίζει γὰρ αἷμα καὶ μαραίνεται χρεός.

Praeterea bis ab Euripide μαραίνεσθαι usurpatur de eo, qui morbo conficitur. Uterque autem locus in Alc. exstat, cuius v. 203 legimus :

φθίνει γὰρ καὶ μαραίνεται νόσῳ

atque v. 237 :

γυναῖκα μαραινομέναν νόσῳ·

Iam ad imagines venimus de floribus sive germinibus

profectas, quae, ubi plantae provenerunt, enascuntur. Quarum pleraeque ad liberorum ortum, nonnullae etiam ad alias quasdam res transferri solent. Atque in hoc quoque genere satis multa sunt vocabula, quae cum translationes ab iis petitae nihil singulare praebeant, nominatim afferre satis erit. Sunt autem haec : *βλάστημα, βλαστημὸς, βλαστάνω, ἐκβλαστάνω, χλωρὸς* sive *χλοερὸς, θάλλω, θαλία, θάλος, θαλερὸς, ἀμφιθαλὴς, νεοθαλὴς, ἄνθος, ἀνθηρὸς, ἀνθεμουργὸς, ἀνθέω, ἐξανθέω, ἐπανθίζω, ἀνθεμίζομαι.* Nec desunt translationes de vocibus illis, quae germen sive ramum significant, profectae. Atque illud *ἔρνος*, quo metaphorice Sophocles usus est, ne nostris quidem poetis deest. Invenitur enim apud Aeschylum Agam. v. 1525, Eum. v. 661 et 666, apud Euripidem Phoen. v. 191, Troad. v. 761, Bacch. v. 1307. Accedunt vocabula *πτόρθος* et *ὄζος* ab eodem Euripide usurpata, quorum illud Hec. v. 20, hoc ibidem v. 125 et Iph. Aul. v. 202 nobis occurrit. Praeterea afferenda sunt vocabula *καρπὸς* (Eur. Ion. v. 922, El. v. 1346, Aesch. Eum. v. 831, Suppl. v. 761, Sept. c. Th. 600 et 618), *καρπόω* sive *καρποῦμαι* (Eur. Androm. v. 935, Hipp. v. 1427, fr. 575, Aesch. Pers. v. 821, Sept. c. Th. v. 593, Agam. v. 502 et 621), *ἐκκαρποῦμαι* (Eur. Ion. v. 815), *ἐκκαρπίζομαι* (Aesch. Sept. c. Th. v. 601), *κάρπιμος* (Eur. Hel. v. 112, fr. 419 v. 3, fr. 757 v. 6), *ἀκάρπωτος* (Aesch. Eum. v. 714), *ἀκάρπιστος* (Eur. Phoen. v. 210), *πικρόκαρπος* (Aesch. Sept. c. Th. v. 693).

Sequitur adiectivi *πέπων* usus metaphoricus, qui Aeschyli Eum. v. 66 exstat :

ἐχθροῖσι τοῖς σοῖς οὐ γενήσομαι πέπων,

ubi idem fere significat *πέπων* atque mitis sive carus. Translationem autem ab eo proficisci, quod maturi fructus molles simul atque mites sunt, consentaneum est. Comparativum deinde habemus illius vocabuli Agam. v. 1365 :

πεπαιτέρα γὰρ μοῖρα τῆς τυραννίδος,

quae vertere licet : „mors enim tyrranide mitior est.“ Ter-

tium accedit huius generis exemplum, quod fr. 259 continetur :

ἀνὴρ δ' ἐκεῖνος ἦν πεπαίτερος μόρων.

Quod vero Eustathius voce *ὡριμώτερος*, i. e. maturior explicat illud *πεπαίτερος*, recte ei in Stephani thesauro opponi videtur: „nisi forte ibi potius mollior moris maturis sive sole percoctis." Aliud adiectivum *ὡραῖος* eadem notione praeditum, qua *πέπων*, ab Euripide ad aetatem humanam ita transfertur, ut eum significet, qui ad maturitatem quam dicimus aetatis sive ad aetatem corroboratam pervenit. Hoc igitur sensu usurpatum illud habemus Phoen. v. 968 seq. :

αὐτὸς δ', ἐν ὡραίῳ γὰρ ἕσταμεν βίῳ,
θνῄσκειν ἕτοιμος πατρίδος ἐκλυτήριον.

Quibus verbis Creon, cui Tiresias praedixerat, nisi immolato Menoeceo patriam servari non posse, se ipsum, cum iam sit aetate corroborata, filii loco mortem subiturum esse contendit. Iterum autem adiectivum, de quo agitur, fr. 801 nobis occurrit :

μοχθηρόν ἐστιν ἀνδρὶ πρεσβύτῃ τέκνα
δίδωσιν ὅστις οὐκέθ' ὡραῖος γαμεῖ·
δέσποινα γὰρ γέροντι νυμφίῳ γυνή.

Quae verba etsi corrupta sunt, tamen, quid hoc loco valeat *οὐκέθ' ὡραῖος*, et ex vocabulo, quod antecedit, *πρεσβύτῃ* et ex eo, quod sequitur, *γέροντι* satis apparet. Nam *οὐκέθ' ὡραῖος* is est, qui iam aetate corroborata transacta ad senectutem pervenit. Praeterea contrarium huius vocabuli *ἄωρος* et ab Aeschylo et ab Euripide translate adhibitum invenitur. Atque apud illum quidem Eum. v. 956 seq. haec leguntur :

ἀνδροκμῆτας δ' ἀώ-
ρους ἀπεννέπω τύχας,

ubi verba *ἀώρους τύχας* de praematura morte dicuntur. Neque diversa sunt ab his, quae Euripidis Hec. v. 425 exstant :

ὦ τῆς ἀώρου, θύγατερ ἀθλία, τύχης.

Apud quem ipsi quoque voci θάνατος hoc adiectivum tribuitur Orest. v. 1029 seq. :

ὦ μέλεος ἥβης σῆς, Ὀρέστα, καὶ πότμου
θανάτου τ' ἀώρου

atque fr. 392 v. 4 :

θανάτους τ' ἀώρους καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς.

Praeterea hoc vocabulo, utpote quod contrarium sit illius ὡραῖος, is significatur, qui nondum aetatis maturitate floret. Cuius usus exemplum Iph. Aul. v. 1218 exstat, ubi ne ipsam nondum adultam immolari admittat, his verbis a patre Iphigenia implorat :

μή μ' ἀπολέσῃς ἄωρον.

Atque eodem pertinent ea, quibus a Vesta petivisse dicitur Alcestis, ne liberi sui, priusquam adulti essent, diem supremum obirent. Sunt autem illius verba Alc. v. 167 seq. ita expressa :

μηδ' ὥσπερ αὐτῶν ἡ τεκοῦσ' ἀπόλλυμαι
θανεῖν ἀώρους παῖδας.

Sequuntur verba metendi, quae, cum ab aliis quoque poetis saepius translate adhibita sint, breviter enumerare satis erit. Ac primum quidem nobis occurrit verbum κείρω sive κείρομαι, quo usus est Euripides Hel. v. 1124, Hipp. v. 1426, Phoen. v. 322, Orest. v. 458, El. v. 546, Troad. v. 1183. Compositum praeterea ἀποκείρομαι Herc. fur. v. 875 invenitur. Apud Aeschylum autem verbum simplex habemus Suppl. v. 665 et Pers. v. 952, cuius eiusdem fabulae v. 921 compositum ἐπικείρω translate usurpatur. Deinde huc referendum est verbum ἀμάω, quod exstat Aesch. Agam. v. 1044, idemque forma mediali usurpatum Eurip. fr. 423. Apud quem praeterea compositum invenimus ἐξαμάω Bacch. v. 1316, quod ne Aeschylo quidem deesse ex Pers. v. 822 atque ex Agam. v. 1655 cognosces. Quibus omnibus locis excepto illo Agam. v. 1044 cum verbo simplici ἀμάομαι sive cum composito ἐξαμάω alteram simul

translationem coniunctam esse addendum est de voce *θέρος* petitam, cuius usus metaphoricus etiam Euripidis Bacch. v. 1027 exstat. Accedit alterum verbi illius compositum *διαμάω* ab eodem poeta El. v. 1023 usurpatum. Neque omittendum est substantivum *ἄμαλα*, quod apud Aeschylum fr. 212 inventum imprimis praestantem translationem praebet. Explicat enim Hesychius, cui vocabulum debemus: *ἄμαλα· τὴν ναῦν, ἀπὸ τοῦ ἀμᾶν τὴν ἅλα· Αἰσχύλος Πρωτεῖ σατυρικῷ.* Qua interpretatione collata etiam Suppl. v. 842 et 847 recte Hermannus *ἐπ' ἄμαλα* pro *ἐπαμίδα*, quod scriptum invenit, restituisse videtur. Deinde de voce illa *θέρος* derivatum verbum *θερίζειν* huc referendum est, quod apud Aeschylum nobis occurrit Agam. v. 536 et Suppl. v. 636, apud Euripidem Suppl. v. 717, fr. 419 v. 5, fr. 757 v. 5, qui praeterea composita usurpavit *ἀποθερίζω* Hel. v. 1188 et *ἐκθερίζω* fr. 374. Denique huc pertinent vocabula nonnulla de voce *λωτὸς* derivata, qua herba quaedam significatur, quae in Graecia et in Troiae planitie nascebatur. Dicimus autem primum substantivum *λώτισμα*, quod proprie de flore illius herbae usurpatur atque, cum plantarum praestantissima pars floribus contineatur, ad id, quod in quaque re praestantissimum est, transfertur. Quare ab Hesychio explicatur: *λώτισμα· οἱ πρῶτοι, οἱ ἐπίλεκτοι.* Quo sensu praeditum apud Euripidem hoc vocabulum invenimus, qui Hel. v. 1593 Menelaum Troia redeuntem itineris comites alloquentem facit:

ὦ γῆς Ἑλλάδος λωτίσματα.

Verbum deinde *λωτίζεσθαι*, quod de eo proprie dicitur, qui herbae illius flores decerpit (cf. Hesychii explicationem: *λωτίζειν· ἀπανθίζεσθαι*), translate usurpatum idem fere valet atque optimum quodque ex aliqua re eligere. Ita igitur intellegenda sunt, quae apud Aeschylum Suppl. v. 962 seq. leguntur:

τούτων τὰ λῷστα καὶ τὰ θυμηδέστατα
πάρεστι, λωτίσασθε.

Atque cum is, qui flores decerpit vel abrumpit, a planta eas seiungat, loco quodam Euripideo compositum *ἀπολωτίζειν* ita usurpatur, ut violenter rapiendi notionem atque de priore loco disiungendi vel deducendi accipiat. Pendet autem genetivus ab hoc verbo, quippe quod cum praepositione *ἀπὸ* compositum sit. Iam igitur dubium videri non potest, quid valeat locus ille Iph. Aul. v. 791 seqq. exstans, ubi hunc in modum in Troia urbe a Graecis obsessa mulieres lamentaturas esse chorus contendit :

τίς ἄρα μ' εὐπλοκάμου κόμας
ἔρυμα δακρυόεν πατρίδος
ὀλομένας ἀπολωτιεῖ.

Idemque verbum translate usurpatum apud eundem poetam invenitur loco illo Suppl. v. 447 seq. exstante, quem iam supra* commemoravimus :

πῶς οὖν ἔτ' ἂν γένοιτ' ἂν ἰσχυρὰ πόλις,
ὅταν τις ὡς λειμῶνος ἠρινοῦ στάχυν
τόλμας ἀφαιρῇ καπολωτίζῃ νέους;

Paucae restant imagines, quae cum illis comparari possunt, quas in fine prioris commentationis suae partis Lueckius collocavit. Atque ex Euripide quidem primum huc referendus est locus, qui Hec. v. 398 exstat :

ὅμοια κισσὸς δρυὸς ὅπως τῆσδ' ἕξομαι.

Quibus verbis Hecuba, ut hedera quercum cingat, ita Polyxenam filiam, ne a Graecis, qui in Achillis sepulcro immolandam eam constituerant, sibi eripiatur, validis brachiis se amplexuram esse contendit. Similis imago Med. v. 1213 seq. continetur :

προσείχεθ', ὥστε κισσὸς ἔρνεσιν δάφνης,
λεπτοῖσι πέπλοις, δεινὰ δ' ἦν παλαίσματα.

Dicitur enim Creon, ubi filiam amplexus sit venenato illo vestimento indutam, quam a Medea acceperat, hederae instar, quae laurum circumdet, cum illa coniunctus fuisse et

* Cf. pag. 42.

quasi ita coaluisse, ut divelli ab ea non posset. Praeterea quae eiusdem fabulae v. 1200 seq. leguntur :

σάρκες δ' ἀπ' ὀστέων, ὥστε πεύκινον δάκρυ,
γναθμοῖς ἀδήλοις φαρμάκων ἀπέρρεον,

intentis oculis has res poetam observasse testantur. Nam piceae, arboris resinosae, naturam minime ei ignotam fuisse ex hac comparatione optime intellegitur. Ex Aeschylo autem, cum plenam illam atque luculentam imaginem, quae Agam. v. 966 seq. exstat, ubi de vocabuli ῥίζα usu translato disputavimus, iam attulerimus, reliquum est, ut similitudinem adiungamus, qua homo pergrandis natu cum arbore comparatur, cuius frons autumno iam provecto marcescere incipit. Invenitur autem locus, quem dicimus, Agam. v. 79 seqq. :

ὁ δ' ὑπέργηρως, φυλλάδος ἤδη
κατακαρφομένης, τρίποδας μὲν ὁδοὺς
στείχει.

Respiciamus denique, quae ibidem v. 970 seq. nobis occurrunt :

ὅταν δὲ τεύχῃ Ζεὺς ἀπ' ὄμφακος πικρᾶς
οἶνον.

Quibus verbis, cum aestatis calore Iuppiter ex acerba uva vinum procreet, illius anni temporis notionem poeta circumscribit. Translatio autem etsi abest ab hoc loco, tamen, cum ipse quoque testetur, quo studio plantarum naturam cognoscendam Aeschylus sibi proposuerit, dignus esse videtur, quem respiciamus.

Iam vero cum omnes totius generis comparationes translationesque in conspectu sint, hoc primum dicendum erit, pro fabularum numero aliquanto uberiores ab Aeschylo, quam ab Euripide imagines usurpatas esse. Neque enim neglegendum est, huius septemdecim, illius septem tragoedias tulisse aetatem. Quare Euripides, etsi aliquoties superare Aeschylum videatur similium copia, tamen, cum haec multo maiore fabularum numero contineantur, aequare illum

in hac re minime potest. Idemque in oratione illius generis imaginibus exornanda ipso quoque Sophocle inferior esse videtur. Nam satis multas ab hoc comparationes translationesque de rebus illis desumptas esse neque claritate neque suavitate carentes, exemplis eis, quae Lueckius enumeravit, demonstratur. Iam vero si ea, quae apud Aeschylum nobis occurrerunt, similia cum Sophocleis comparamus, quis est qui hunc penitus in res, quae huc pertinent, se insinuasse, illum quasi primoribus labris eas attigisse contendat? Nam hoc quidem certum videtur, imaginum copia vix alterum ab altero superari. Alia est quaestio, quamnam rationem uterque poeta secutus sit in illis componendis quoque ingenio et arte eis, quae intento animo observaverat, usus sit ad orationem illustrandam. Neque tamen, etsi eodem fere studio eodemque amore in perpoliendis atque, ut ita dicam, exsculpendis imaginibus utrumque versatum esse concedas, omnibus ex partibus in his rebus poetae illi inter se consentiunt. Nam unum exstat idque gravissimum, quo Aeschylus a Sophocle abhorreat. Dicimus autem id quod Tuchius* de universis quae apud illum inveniuntur comparationibus translationibusque disputans ex omnibus fere generibus elucere tam evidenter probavit, ut quin ita res se habeat vix dubium videri possit. Convenit enim mihi cum illo, Sophoclem earum rerum, unde imagines desumpserit, universam naturam quasi pingendo effinxisse, Aeschylum unam imprimis partem excoluisse, reliquas si non prorsus neglexisse at parum tamen rationem earum habuisse. Etenim diligentius si perspexeris huius poetae translationes, id praecipue ex omni re eum eligere cognosces, quo tales similitudines efficiantur, quibus audientium animi perturbentur ac terrore afficiantur. Quare plerumque bestias cruentas eum depinguere, quae dilanient

* De Aeschyli figurata elocutione. Progr. d. Gymn. zu Wittenberg 1869.

debiliora animalia, Tuchius monet. Ubi vero ab alius generis animalibus translationes petit, ibi in eas imprimis res, quibus et ipsa terrorem hominibus incutiunt, animum poetam intendere, ex eis de quibus nos egimus imaginibus cognoscere licet. Neque enim aliter fere equi naturam depinxit, quam qua sive bellicosum et pugnandi cupidissimum sive contumax et effrenatum esse hoc animal videatur. Atque taurum eum plerumque descripsit, qui efferatus est et quasi terroris simulacrum prae se fert. Idemque de ceteris rebus dicendum est, unde profectae sunt imagines illae, de quibus disputavimus. Nam etsi mitioris generis similia non prorsus sprevit poeta, tamen multo maiorem numerum usurpavit eorum, quibus terribilia continentur. Quod si quaeris, qua re ille commotus hoc fecerit, non quo minus accurate universam rerum, quae eo pertinent, naturam noverit, sed quia naturam suam et indolem sequebatur ceteroquin etiam in fabulis conspicuam. Nam cum in personarum moribus describendis eos potissimum secutus sit, qui acerbitatis quandam speciem praeberent atque gravitatis, non mirum videtur, quod in elocutione exornanda eis imprimis usus est imaginibus, quae ipsius χαρακτῆρι quem Graeci dixerunt maxime responderent. Iam igitur qua ille fuerit animi magnitudine et severitate, vel ex comparationibus translationibusque ab eo usurpatis cognoscitur. Sophocles autem et ipse propriam naturam secutus cum eis libenter imaginibus operam daret, quibus hominum animi, si dolore afflicti essent, erigerentur et solatio afficerentur, ne illas quidem neglexit, quibus formidinis quasi signum impressum esset. Nam cum ita apud illum cum gravitate quadam suavitas coniuncta esset, ut ipsi veteres illius τὸν μέσον χαρακτῆρα summis laudibus efferrent, quasi necessitudine ac natura factum esse apparet, ut earum rerum, quas depingendas sibi proposuerit poeta, ut ita dicam, lumen et umbras pariter respiceret. Apud Euripidem denique, quem copia quidem similium utrique illorum cedere vidimus, haud raro

eae nobis occurrunt translationes, quae minus propriae ipsius arti atque ingenio deberi videantur. Nam etsi non desunt poetae exempla satis singularia, quibus studio atque amore in eius modi similitudinibus perpoliendis versatum eum esse demonstretur, tamen haud scio an maior exstet numerus earum, quas usu quodam ac consuetudine receptas esse tibi persuadeas. Quod quidem vel ex eo apparet, quod ubi largiore manu ab illo sparsas invenimus alicuius generis imagines, plerumque eae aequabilitatis cuiusdam speciem prae se ferunt ac saepe aliae ad aliarum similitudinem tam prope accedunt, ut vix inter se diversae esse videantur. Sed haec quidem hactenus.

Venimus nunc ad alteram commentationis nostrae partem, qua de comparationibus translationibusque disputandum erit ex eis rebus profectis, quae ad pastorum vitam pertinent. Ac Sophoclem quidem, etsi durum illud vitae genus et laborum molestiarumque plenum existimaverit, tamen libenter etiam delectationes eas, quae insint, percepisse ex imaginibus, quas inde petiverit, apparere Lueckius contendit. Neque enim imperitum poetam fuisse earum delectationum, quibus vita illa abundet, atque leni quoque fistulae pastoriciae sono aurem praebuisse. Quod cum ei concedendum videatur vehementer Sophoclem rerum pastoralium studium amplexum esse neque ullam fere eius partem in similibus inde desumendis neglexisse, iam quid de Aeschylo et Euripide iudicandum sit quaeramus atque, cum hoc nisi ex huius generis imaginibus ab illis usurpatis cognosci non possit, pertractandas illas suscipiamus.

Initium autem faciendum est a voce *ποιμήν* eiusque derivatis vel compositis. Neque tamen nimium tribuendum esse Lueckius putat translato illius vocis usui, quem ad Homerum referendum esse recte monet. Nam quis est quin memoria teneat, saepissime apud illum *ποιμένα λαῶν*

nobis occurrere? Cuius usus exemplum etiam Euripides usurpavit Suppl. v. 190 seq. :

τά τ' οἰκτρὰ γὰρ δέδορκε καὶ νεανίαν
ἔχει σε ποιμέν' ἐσθλόν,

ubi verba *ποιμέν' ἐσθλόν* ad Theseum, Atheniensium regem, spectant. Apud Aeschylum autem voci *ποιμὴν* hac translatione usurpatae *ποιμάνωρ* ille respondet, de quo Pers. v. 241 quaeritur :

τίς δὲ ποιμάνωρ ἔπεστι κἀπιδεσπόζει στρατοῦ;

Deinde quae Euripidis Suppl. v. 674 habemus *ποιμένες δ' ὄχων τετραόρων* de quadriiugarum gubernatoribus usurpata, ab eis vix diversa sunt, quae Aeschyli illius fabulae, cui idem nomen est, v. 767 nobis occurrunt *ναῶν ποιμένες* ad navium gubernatores pertinentia. Atque ad hanc similitudinem proxime accedunt, quae Agam. v. 657 de navibus legimus :

ᾤχοντ' ἄφαντοι, ποιμένος κακοῦ στρόβῳ,

nisi quod *ποιμένος κακοῦ* de procella naves disiciente hoc loco intellegendum est. Prorsus autem Aeschyleam hanc metaphoram Weilius dicit atque illud *ἀνδρὸς φιτυποιμένος δίκην* cum ea confert, quod Eum. v. 911 exstat, ubi universa verba a nobis ipsis hic commemoranda ita expressa sunt :

στέργω γάρ, ἀνδρὸς φιτυποιμένος δίκην,
τὸ τῶν δικαίων τῶνδ' ἀπένθητον γένος.

Sequitur verbum *ποιμαίνω,* quod proprie de pastore, qui greges pascit, atque forma mediali de ipsis gregibus, qui pascuntur, usurpari solet. Translate autem huius verbi formam activam ita ab Euripide adhibitam invenimus, ut ab illo substantivi *ποιμὴν* usu metaphorico, quem supra explicavimus, minime recedat. Dicitur enim dux exercitum, cui praeest, *ποιμαίνειν* fr. 744, ubi haec habemus verba :

ἄρξεις γὰρ οὕτω· χρὴ δὲ τὸν στρατηλάτην
ὁμῶς δίκαιον ὄντα ποιμαίνειν στρατόν.

Atque apud eundem poetam, cum is, qui pabulum praebet

animalibus, famem eorum sedans quasi deliciis illa afficiat, in delectandi etiam notionem verbum ποιμαίνω abiit, quo sensu ipsum quoque quod nos dicimus „weiden" usurpatur. Exstat autem locus ille, quo huius usus exemplum continetur, Hipp. v. 151 seqq. :

ἢ πόσιν, τὸν Ἐρεχθειδᾶν
ἀρχαγὸν, τὸν εὐπατρίδαν
ποιμαίνει * τις ἐν οἴκοις
κρυπτὰ κοῖτα λεχέων σῶν;

Apud Aeschylum deinde semel hoc verbum active positum nobis occurrit Eum. v. 90 seqq. :

κάρτα δ' ὢν ἐπώνυμος
πομπαῖος ἴσθι, τόνδε ποιμαίνων ἐμὸν
ἱκέτην,

quibus verbis Apollo Mercurium fratrem monet, ut fidi comitatoris instar Orestem tueatur. Medium praeterea ποιμαίνεσθαι, cuius mentionem supra fecimus, non de armentis, quibus pastor praeest, sed de feris dictum esse ex loco quodam Euripideo cognoscimus, qui Alc. v. 579 ita expressus est :

σὺν δ' ἐποιμαίνοντο χαρᾷ μελέων βαλιαί τε λύγκες.

Passiva autem notione praedito Aeschylus usus est verbo ποιμαίνεσθαι Eum. v. 249 :

χθονὸς γὰρ πᾶς πεποίμανται τόπος,

quo loco de animalibus, quae progredientes agros totos depascunt, ad Furiarum chorum translatio fit, qui Orestis investigandi causa omnia terrae loca perscrutatus est. Accedit substantivum ποίμνη bis metaphorice usurpatum ab Aeschylo, qui Suppl. v. 642 Danai filias nominat ποίμναν τάνδ' ἀμέγαρτον et Eum. v. 197 verba :

ποίμνης τοιαύτης δ' οὔτις εὐφιλὴς θεῶν

ad Furiarum chorum spectare vult. Iam cui animalia illa, quae πρόβατα a Graecis vocantur, pastum agenda sunt, ei

* ποιμαίνει ex scholiis, libri πημαίνει.

naturam illorum pernoscendam esse quivis concedet. Quare de hac re desumptam huc adiungere nobis liceat translationem, quae Aeschyli Agam. v. 795 legitur:

ὅστις δ' ἀγαθὸς προβατογνώμων,

ubi προβατογνώμων ad illum ποιμένα λαῶν pertinet.

Sequuntur imagines de verbo βόσκειν atque de eis vocabulis, quae cum illo cohaerent, profectae, quas apud Sophoclem quidem paullo magis iam vividas et luculentas partimque suavissimas esse Lueckius contendit. In quibus cum celeberrimam esse putet eam, quae Ai. v. 612 seqq. exstet, atque una illa explicata poetam eas res diligentissime observasse intellegi sibi persuadeat, facere non possum quin mihi quidem nimiam inde laudem Sophocli vindicasse virum doctissimum videri profitear. Nam quae de verbis illis φρένος οἰοβώτας disseruit, tam quaesita videntur, ut non interpretatum eum esse poetae verba, sed suam de illo sententiam eis subiecisse dixeris. Quare equidem puto, revera „eo standum esse, ut Aiax φρένα οἶος βόσκειν dicatur", atque his verbis exprimi, solum illum menti suae consulere neque amicorum consiliis aurem praebere, quibus in perturbata animi affectione, propter quam paullo ante nominatur θείᾳ μανίᾳ ξύναυλος, tantopere egere videtur. Verbum enim βόσκειν, cum ei, qui pecudes pastum agit, custodiendae illae et curandae sint, etiam in curandi notionem sive consulendi alicui rei abire posse consentaneum est. — Iam vero huius generis imagines afferamus, quibus Aeschylus et Euripides usi sunt, quorum apud illum duos locos invenimus, quibus vocabulum βοτὴρ, quod idem valet atque ποιμὴν, translate usurpatur. Atque quae Eum. v. 196 legimus:

χωρεῖτ' ἄνευ βοτῆρος αἰπολούμεναι,

Apollo loquitur ad Furias conversus, quas cum versu sequente, ut supra commemoravimus, gregem nominet a nemine deorum amatum, bene cum pecudibus comparat, quae a pastore desertae pascuntur. Nec praeterea hoc loco

neglegendus est verbi *αἰπολεῖσθαι* usus metaphoricus, quod quidem proprie primum de capris, deinde etiam de aliis pecudibus pascentibus dici solet. Alter locus, quo vocis *βοτὴρ* translatio continetur, Sept. c. Theb. v. 24 exstat :

νῦν δ', ὡς ὁ μάντις φησίν, οἰωνῶν βοτήρ,

ubi recte Weilius adnotat : „Quid sit *οἰωνῶν βοτήρ*, poeta ipse, locupletissimus interpres, verbis *δεσπότης μαντευμάτων* declaravit." Nam qui ex avium natura auguratur, is quasi pastor illarum esse videtur. Iam ad ipsum verbum *βόσκειν* sive *βόσκεσθαι* transeundum est, quod ad homines ita transfertur, ut active usurpatum alere, medialiter aliqua re ali significet. Atque illud quidem ter apud Euripidem invenitur, cuius Heracl. v. 826 seq. legimus :

ὦ ξυμπολῖται, τῇ τε βοσκούσῃ χθονὶ
καὶ τῇ τεκούσῃ νῦν τιν' ἀρκέσαι χρεών,

a quibus minime recedunt, quae fr. 774 exstant :

ὡς πανταχοῦ γε πατρὶς ἡ βόσκουσα γῆ.

Tertium huius generis exemplum Phoen. v. 405 continetur :

κακὸν τὸ μὴ 'χειν· τὸ γένος οὐκ ἔβοσκέ με,

quae verba a Polynice proferuntur, a quo eiusdem fabulae v. 400 verbi illius forma mediali usa Iocasta quaesivit :

πόθεν δ' ἐβόσκου, πρὶν γάμοις εὑρεῖν βίον;

Idemque poeta *τὸν βόσκοντα* sive *τοὺς βόσκοντας* nominat eos, qui liberos alunt, i. e. parentem sive parentes. Inveniuntur autem huius generis exempla Ion. v. 137 :

τὸν βόσκοντα γὰρ εὐλογῶ

atque ibidem v. 183 :

τοὺς βόσκοντας θεραπεύων.

Praeterea ad aves quosdam medium *βόσκεσθαι* Aeschylus transtulit atque accusativo addito verbi transitivi vi praedidit Agam. v. 119, ubi

βοσκόμενοι λαγίναν — — — γένναν

Iovis aquilae dicuntur, quae genus leporinum devorant. Iam cum is, qui pabulum praebet animalibus, viva ea servet ac quasi sustentet, ad res abstractas translatum susten-

tandi quoque notione verbum *βόσκειν* ab Euripide usurpatur Phoen. v. 396 :

αἱ δ' ἐλπίδες βόσκουσι φυγάδας, ὡς λόγος.

Similis exstat usus formae medialis intransitive positae neque ad merum animalium pabulum, sed ad alias quasdam res, quibus homines afficiuntur, spectantis. Quae ut aut iucundae aut acerbae sunt, ita aut delectari iis aut affligi verbum illud significat. Atque illo quidem sensu intellegenda sunt, quae Euripidis Bacch. v. 617 legimus :

ἐλπίσιν δ' ἐβόσκετο,

eademque significatione praeditum apud Aeschylum verbum *βόσκεσθαι* habemus Sept. c. Th. v. 244 :

τούτῳ γὰρ Ἄρης βόσκεται φόνῳ βροτῶν.

Delectari enim Martem hominum caede ex dei natura consentaneum est.* Alterum quem commemoravimus verbi *βόσκεσθαι* usum ex eiusdem Aeschyli Choeph. v. 26 cognoscimus :

δι' αἰῶνος δ' ἰυγμοῖσι βόσκεται κέαρ.

Substantivum quod sequitur *βόσκημα* aut subiectivo sensu dictum invenimus de eo, quo quid augeatur, aut obiectivo de eo, quod quis curet sive quo fruatur. Prioris usus exemplum habemus Aeschyli Suppl. v. 619 seq. :

λέγων διπλοῦν μίασμα πρὸς πόλεως φανὲν
ἀμήχανον βόσκημα πημονῆς πέλειν.

Quo loco illud *διπλοῦν μίασμα* vocatur *βόσκημα πημονῆς,* quippe quo calamitas augeatur et amplificetur. Nec desunt alterius usus exempla, cuius ipsius duo genera exstare indicavimus, quorum alterum ex Euripidis Hipp. v. 1355 seq. cognoscitur :

---

* Cf. quae pag. 59 seq. de verbo *ποιμαίνω* delectandi notione praedito exposuimus, praeterea Schilleri Don Carlos III, 4 :

Mit welcher Wollust ihr an meinem Schmerz,
An meines Zornes Wallung euch geweidet?

ὦ στυγνὸν ὄχημ' ἵππειον, ἐμῆς
βόσκημα χερὸς,

alterum ex Aeschyli Eum. v. 302, ubi βόσκημα δαιμόνων Furiae Orestem nominant, quod voce praedae vertere licet, atque ex fr. 270, ubi verba ποντίου βοσκήματος de ardeae cibo intellegenda sunt, qui maris piscibus continetur. Eodemque sensu vocabulum βοσκὴ ab Aeschylo usurpatur Eum. v. 265 seq. :

ἀπὸ δὲ σοῦ
βοσκὰν φεροίμαν ἐγὼ πώματος δυσπότου.

Iam vero ad ea vocabula, quae compositione a verbo βόσκειν orta sunt, illustranda aggrediamur. Ac primum quidem quod apud Euripidem invenimus verbum γηροβόσκειν, hominem senectute confectum alere atque curare significat ac plerumque de liberis usurpatur, qui matris pergrandis natu quasi subsidium sunt. Ita igitur intellegenda sunt, quae exstant Alc. v. 663 seq :

οἵ γηροβοσκήσουσι καὶ θανόντα σε
περιστελοῦσι

et Med. v. 1032 seq. :

ἦ μήν ποθ' ἡ δύστηνος εἶχον ἐλπίδας
πολλὰς ἐν ὑμῖν, γηροβοσκήσειν τ' ἐμέ.

Quibus vero liberis propositum est, ut curent matris senectutem, ii ab eodem Euripide γηροβοσκοὶ nominantur Phoen. v. 1436 seq. :

ὦ γηροβοσκὼ μητρὸς, ὦ γάμους ἐμοὺς
προδόντ' ἀδελφὼ φιλτάτω

atque Suppl. v. 922 seqq. :

ἐγὼ δὲ
γηροβοσκὸν οὐκ ἔχω
τεκοῦσ' ἁ τάλαινα παῖδα.

Deinde apud Aeschylum duo huius generis adiectiva nobis occurrrunt, quae ambo Suppl. v. 556 seqq. inveniuntur :

ἱκνεῖται δ' εἰσικνουμένου βέλει
βουκόλου πτερόεντος

Δῖον πάμβοτον ἄλσος
λειμῶνα χιονόβοσκον.

Quo loco *πάμβοτον* activa notione dicitur de luco omnia alente, *χιονόβοσκον* passiva notione de prato nive impleto ac quasi satiato. Monendum est praeterea tertiam verbis *βουκόλου πτερόεντος* contineri translationem, quae, cum de verbo *βόσκειν* omnibusque eis vocabulis, quae cum illo cohaerent, quaestio iam ad finem perducta sit, apte huc adiungitur. Significatur autem hac imagine asilus ille, qui vaccam stimulo lacessens ad fugam impellit. Quocum compares illud *οἰοβουκόλον*, quod eiusdem fabulac v. 304 invenitur :

ποῖον πανόπτην οἰοβουκόλον λέγεις;

Ubi unius vaccae pastorem Argum poeta dicit, quippe qui Ioni illi in vaccam mutatae custodiendi observandique causa a Iunone dea additus sit. Opponitur autem *οἰοβουκόλον* alteri epitheto *πανόπτην*, ut, cum ei, qui omnia videat, una tantum vacca custodienda sit, nihil eum effugere posse eorum, quae illa moliatur, intellegas. Longius autem in via nostra progredientes in verbum *βουκολεῖν* incidimus, cuius propria significatio est armenta pascere. Iam cum ex antecedentibus verbum *βόσκειν* translate positum alendi sive curandi notionem habere videris, ab hoc vix diversum esse verbi *βουκολεῖν* usum metaphoricum tuo iure suspicaberis. Re vera enim curare hoc verbum significat, quod ipsum, cum non modo ex eis, quae facimus, sed etiam ex eis, quae cogitamus, quid curemus, appareat, idem esse potest, atque cogitando aliquid persequi sive rationem alicuius rei habere. Qui quidem usus apud Aeschylum nobis occurrit Agam. v. 669 :

ἐβουκολοῦμεν φροντίσιν νέον πάθος.

Atque similiter usurpatam invenimus huius verbi formam medialem Eum. v. 78 seq. :

καὶ μὴ πρόκαμνε τόνδε βουκολούμενος
πόνον.

Cuius autem rei ratio nulla est habita, eam *ἀβουκόλητον* appellari cognoscimus ex Suppl. v. 929 :

ἀβουκόλητον τοῦτ' ἐμῷ φρονήματι.

Quod praeterea ad animalia pascentia pertinet verbum *νέμειν*, id translate ab Euripide ita usurpari, ut et ipsum in curandi vel servandi notionem abeat, ex fr. 635 apparet, ubi haec habemus verba :

ὅστις νέμει κάλλιστα τὴν αὑτοῦ φύσιν,
οὗτος σοφὸς πέφυκε πρὸς τὸ σύμφερον.

Ex Aeschylo autem, apud quem verbi simplicis usum metaphoricum non invenimus, compositum *ἐπινέμεσθαι* afferendum est, quod proprie depasci significat, unde ad absumendi sive depopulandi notionem facile transitio fit. Quo verbo quo modo metaphorice usus sit poeta, ex Agam. v. 485 intellegitur :

πιθανὸς ἄγαν ὁ θῆλυς ὅρος ἐπινέμεται,

quae verba, cum absolute dicatur *ἐπινέμεται*, hunc in modum vertere licet : nimis credulum mulieris decretum populationes facit sive mala excitat. Accedit apud eundem poetam compositione ortum vocabulum *βούνομος*, quod fr. 243 legitur :

Σπερχειὲ ποταμὲ βούνομοί τ' ἐπιστροφαί,

ubi quid sit *ἐπιστοφαί*, ex Hesychii explicatione apparet, quam habemus fr. 264 : *ἐπιστροφαί· διατριβαί, δίαιται. Αἰσχύλος Φρυξί.* Neque vero ab hoc loco abesse translationem, cum sedes illae, in quibus versantur animalia, *βούνομοι* dicantur, consentaneum est. Pertinet huc praeterea vocabulum *σύννομος*, cuius propria potestate animal significatur, quod eisdem quibus alia eiusdem generis animalia pascuis sive in agro compascuo eisdem pabulis utitur. Sed translate de hominibus quoque usurpatur, qui una educati fuerunt vel educantur aut saltem qui sunt contubernales vel sodales. Qui quidem usus nobis occurrit Aeschyli Sept. c. Th. v. 353 seq. :

καὶ κενὸς κενὸν καλεῖ
ξύννομον θέλων ἔχειν,

i. e. sodalem habere cupiens in urbe capta diripienda. Eodem pertinent, quae Choeph. v. 598 seq. exstant :

ἄταισι συννόμους βροτῶν
συζύγους ὁμαυλίας

atque quae Pers. v. 704 leguntur :

τῶν ἐμῶν λέκτρων γεραιὰ ξύννομ' εὐγενὲς γύναι,

ubi de coniuge vocabulum *ξύννομος* intellegendum est. Ex Euripide autem una quam invenimus imago huc referenda est Hipp. v. 979 seq. ita expressa :

οὐδ' αἱ θαλάσσης ξύννομοι Σκειρωνίδες
φήσουσι πέτραι, τοῖς κακοῖς μ' εἶναι βαρύν.

Quo loco *θαλάσσης ξύννομοι* Scironides illae rupes dicuntur, quippe quae ad mare sitae quasi sodales illius esse videantur.

Unum restat verbum *φέρβειν*, quod proprie pascere significat atque ad homines translatum alendi notionem accipit. Quo sensu ab Euripide Orest. v. 869 usurpatur :

καί μ' ἔφερβε σὸς δόμος

atque Ion. v. 323 :

βωμοί μ' ἔφερβον οὑπιών τ' ἀεὶ ξένος.

Praestantissimam denique suavissimamque imaginem habes Med. v. 826 seq. :

χώρας ἀπορθήτου τ' ἀποφερβόμενοι
κλεινοτάταν σοφίαν,

quibus verbis sapientiam, qua excellunt, quasi comedere Athenienses dicuntur.

Longius autem in via nostra progredientes vocabulorum ab *αὐλή*, sede pecudum, ductorum verbo admonuisse satis habemus. Quorum haec apud poetas nostros nobis occurrunt : *αὐλίζομαι* (Euripidis El. v. 304), *παραυλίζω* (Ion. v. 493), *ἀδίαυλος* (fr. 860), *ἔναυλος* (Bacch. v. 121), *ξύναυλος* (El. v. 879), *ξυναυλία* (Aeschyli Sept. c. Th. v. 839), *ὁμαυλία* (Choeph. v. 599), *δυσαυλία* (Agam. v. 555).

Habemus deinde alteram vocem σταθμὸς et ipsam de pecudum sede usurpatam, cuius quidem Aeschylum non immemorem fuisse ex versu illo apparet, qui ex Sisypho allatus fr. 225 continetur :

σὺ δ' ὁ σταθμοῦχος ἐγκατιλλώψας ἄθρει.

Quae quidem verba ad ipsam illam personam spectant, de qua fabulae nomen poeta duxit.

Iam vero quaerendum est, quo modo bestiarum, quae huc pertineant, natura poetae usi sint ad comparationes sive translationes effingendas. Atque de genere equino et taurino cum in ea commentationis parte iam disputaverimus, qua agriculturae res continentur, una ex Aeschylo restat huc afferenda imago eaque praestantissima, qua vitula in comparationem vocatur atque eam, cum a rebus pastoralibus segregari non posset, illic pertractare non licuit. Dicimus enim, quae Suppl. v. 349 seqq. leguntur :

ἴδε με τὰν ἱκέτιν φυγάδα περίδρομον,
λυκοδίωκτον ὡς δάμαλιν* ἂμ πέτραις
ἠλιβάτοις, ἵν' ἀλκᾷ πίσυνος μέμυκε
φράζουσα βοτῆρι μόχθους.

Quibus verbis Danaides, quae Aegypti filios fugientes ad litus Argivum nave accesserunt, Pelasgo regi instant, ut ab illis se tueatur, quippe qui ad servitium potius quam ad matrimonium vi et armis invitas se cogere studeant. Confert autem se virginum chorus cum vitula, quae a lupo vexata in abscisas rupes effugit ibique mugire incipit, ex quo pastorem in periculis se versari intellecturum atque auxilium sibi laturum esse confidit. Quo loco ut terrorem, quo virgines impletae sunt, ita confidentiam, qua a rege ingenuo id, quod petunt, impetraturas se esse sperant, insigniore quadam arte illustrari nemo erit qui neget. Ἀσχέδωρος deinde, qui est aper, comparatione ab Aeschylo usurpatus, fr. 252 invenitur, ubi Athenaeus, cui locum de-

* De voce δάμαλις cf. Arist. Byz. p. 104. Nauck.

bemus, quo comparatio spectet, ita explicat : *οἱ περὶ τὴν Σικελίαν κατοικοῦντες ἀσχέδωρον καλοῦσι τὸν σίαγρον. Αἰσχύλος γοῦν ἐν Φορκίσι παρεικάζων τὸν Περσέα τῷ ἀγρίῳ σύΐ φησιν.*

ἔδυ δ' ἐς ἄντρον ἀσχέδωρος ὥς.

De ferocia igitur, propter quam cum apro conferri posse Perseus videtur, imago desumpta est. Atque ob eandem causam *κάπρος*, quo idem aper significatur, ab Euripide in comparationem vocatur Orest. v. 1460 seqq., ubi, quo modo ad Clytaemnestram interficiendam Orestes et Pylades se paraverint, servus quidam Phrygius his verbis narrat :

ὡς κάπροι δ' ὀρέστεροι γυ-
ναικὸς ἀντίοι σταθέντες
ἐννέπουσι, κατθανεῖ,
κατθανεῖ, κακός σ' ἀποκτενεῖ πόσις.

Praeterea ad capram, quae deis immolari solet, spectat comparatio, quam Aeschyli Agam. v. 231 seqq. habemus, ubi de Agamemnone, qui Iphigeniam filiam ministris immolandam tradidit, haec legimus :

φράσεν δ' ἀόζοις πατὴρ μετ' εὐχὰν
δίκαν χιμαίρας ὕπερθε βωμοῦ
πέπλοισι περιπετῆ παντὶ θυμῷ
προνωπῆ λαβεῖν ἀέρδην.

Ex Euripide denique huc afferenda sunt, quae Androm. v. 557 seq. exstant ita expressa :

ὕπαρνος γάρ τις ὡς ἀπόλλυσαι
ἡμῶν ἀπόντων τοῦ τε κυρίου σέθεν.

Quibus verbis Andromachen, quam una cum Molosso filio interficiendam esse Menelaus iussit, ovis instar, quae pullum uberibus alat, mortem obire Peleus conqueritur.

Restant imagines, quae de cane eiusque natura desumptae sunt. Ac primum quidem commemorasse satis habemus verba *σαίνειν, παρασαίνειν, προσσαίνειν*, cum quibus blandiendi notio ita coniuncta est, ut de cane caudam motitante imaginem profectam esse vix iam sentiri videatur.

Sed alia inveniuntur similia de canis natura repetita, quae maiore quodam iure huc afferenda esse contendas. Nonne imprimis fidi pastoris comitis est greges custodire? Quare qui fideliter aliquid custodit atque servat, bene cum gregum illo custode comparari potest. Cuius usus exemplum admodum clare expressum apud Aeschylum exstat Agam. v. 896:

λέγοιμ' ἂν ἄνδρα τόνδε τῶν σταθμῶν κύνα,

ubi fortasse ex eleganti Hermanni emendatione *βουστάθμων κύνα* scribere licet. Quae res utcunque se habet, satis perlucidam desumptam esse translationem de cane, qui stabula, pecudum sedes, custodit, prorsus perspicuum est. Atque cum illo si maritum Troia reversum Clytaemnestra confert, boni custodis instar eum in posterum domui praefuturum esse se confidere simulat. Eandemque Agamemnonis uxorem vario verborum strepitu, quae sentiat, dissimulare ex eiusdem fabulae v. 607 apparet, ubi se ipsam, quoad in propinquo ille fuerit, *δωμάτων κύνα ἐσθλὴν ἐκείνῳ* fuisse contendit. Tertium praeterea in hac fabula locum habemus v. 3, ubi ipse custos per annuae vigiliae longitudinem canis instar (*κυνὸς δίκην*) custodiendi munere se functum esse dicit. Quae praeterea apud poetas nostros inveniuntur huius generis similia, ad canem imprimis venaticum spectant, qui plerumque impetu suo furibundo feras insectatur perniciemque eis molitur. A qua quidem re satis multae imagines ab utroque poeta petitae sunt. Ac primum quidem eos locos afferamus, quibus comparatione usurpata animal introducitur. Quo pertinent et quae Aeschyli Agam. v. 1093 seq. chorus de Cassandra dicit:

ἔοικεν εὔρις ἡ ξένη κυνὸς δίκην
εἶναι

et quae Euripidis Herc. fur. v. 859 seqq. Rabies dea profert ad Irim conversa, per quam insania Herculem afficere a Iunone iussa est:

εἰ δὲ δή μ' Ἥρα θ' ὑπουργεῖν σοί τ' ἀναγκαίως ἔχει
τάχος ἐπιρροίβδην θ' ὁμαρτεῖν ὡς κυνηγέτῃ κύνας,
εἰμί γ'·

Sequuntur imagines, in quibus sive vocabuli *κύων* sive eorum, quae cum illo cohaerent, usum translatum habemus. Atque initium faciamus ab Aeschyli fr. 234 :

Σφίγγα δυσαμεριᾶν πρύτανιν κύνα πέμπει,

ubi Thebanorum illam pestem *δυσαμεριᾶν πρύτανιν κύνα* poeta nominat. Nec multum ab hoc recedunt loci ii, ubi sive mulieres bacchantes sive Furiae hominibus sceleratis inimicissimae *κύνες* dicuntur. Utriusque usus exempla apud Euripidem inveniuntur, qui ad Bacchas illas pertinere voluit, quae scripsit Bacch. v. 731 seq. :

ἡ δ' ἀνεβόησεν· ὦ δρομάδες ἐμαὶ κύνες
θηρώμεθ' ἀνδρῶν τῶνδ' ὕπ'

atque ibidem v. 977 :

ἴτε, θοαὶ Λύσσας κύνες, ἴτ' εἰς ὄρος,

ubi addita voce *Λύσσας* plenior imago evadit. Ad Furias autem spectant, quae El. v. 1352 seq. ad Orestem conversi Dioscuri proferunt :

ἀλλὰ κύνας
τάσδ' ὑποφεύγων στεῖχ' ἐπ' Ἀθηνῶν.

Idemque poeta quo iure deas illas *κυνώπιδας* appellare possit, ex loco, quam modo attulimus, satis apparet. Occurrit enim haec translatio eiusdem fabulae v. 1252 seq. :

δειναὶ δὲ Κῆρές σ' αἱ κυνώπιδες θεαὶ
τροχηλατήσουσ' ἐμμανῆ πλανώμενον

atque Orest. v. 260 seq. :

ὦ Φοῖβ', ἀποκτενοῦσί μ' αἱ κυνώπιδες
γοργῶπες, ἐνέρων ἱερίαι δειναὶ θεαί.

Deinde vox *κύων* transfertur ad mulieres perfidas vel eas, quae sive marito sive alii alicui viro perniciem moliantur. Quare Menelaum, utpote qui Troia capta perfidam uxorem non puniverit, Euripidis Androm. v. 630 vehementer Peleus vituperat his verbis usus :

φίλημ' ἐδέξω, προδότιν αἰκάλλων κύνα.

Atque quae apud eundem poetam Hec. v. 1172 seq. Polymestor dicit, Thraciae rex :

ἐκ δὲ πηδήσας ἐγώ,
θὴρ ὥς, διώκω τὰς μιαιφόνους κύνας,

ad captas mulieres Troianas spectant, quae Polydori, Hecubae filii, caedem ulciscentes, illius liberos interfecerunt ipsique regi oculos effoderunt. Eodem referenda sunt, quae Aeschyli Agam. v. 1227 seqq. legimus Cassandrae verba :

νεῶν τ' ἔπαρχος Ἰλίου τ' ἀναστάτης
οὐκ οἶδεν οἷα γλῶσσα μισητῆς κυνὸς
λέξασα κἀκτείνασα φαιδρόνους, δίκην
ἄτης λαθραίου, τεύξεται κακῇ τυχῇ.

Quo loco *μισητὴ κύων* Clytaemnestra vocatur, cum marito Troia reverso necem moliatur. Cui imagini bene illa adiungitur, qua Choeph. v. 614 *ἁ κυνόφρων* Scylla appellatur, Nisi filia, quae Minois donis commota comis purpureis patrem privavit, quibus rei publicae salus continebatur. Nec praetereunda sunt verba, quibus usus Mercurius Prometheum a Iovis aquila dilaceratum iri minatur Prom. v. 1021 seqq. :

Διὸς δέ τοι
πτηνὸς κύων, δαφοινὸς αἐτὸς, λάβρως
διαρταμήσει σώματος μέγα ῥάκος.

Ubi *Διὸς πτηνὸς κύων* avis illa nominatur, quippe quae perniciem Prometheo vincto paraturus sit. Qui denique nobis occurrit locus Choeph. v. 446 seq. :

μυχοῦ δ' ἄφερκτος πολυσίνου κυνὸς δίκην,
ἑτοιμότερα γέλωτος ἀνέφερον λίβη,
χέουσα πολύδακρυν γόον κεκρυμμένον,

eo Electra cum cane se confert, quia patre a Clytaemnestra et Agistho necato omnes indignitates contumeliaeque in illius domo sibi perferendae sint. Significari igitur apparet indignam quandam tractandi rationem, qua vel fidus ille domus custos saepe afficitur. Eademque de re profectus

est usus translatus comparativi κύντερος sive superlativi κύντατος, pro quo ab Aeschylo formas κυντερώτατος et κυντατώτατος usurpatas esse ex fr. 396 cognoscimus. Illud κύντατος autem apud Euripidem invenitur Suppl. v. 807, ubi mulierum Thebanarum chorus :

τὰ κύντατ' ἄλγη κακῶν

sibi perferenda fuisse conqueritur. Monendum videtur, hunc vocabuli illius usum iam ex Homerico illo versu cognitum esse :

τέτλαθι δή, κραδίη, καὶ κύντερον ἄλλο ποτ' ἔτλης.

Sequitur vocabulum λύσσα, quo primum Rabiem deam significari ex Euripidis Bacch. v. 977, quem supra commemoravimus, cognoscere licet. Atque scimus, vocem illam, qua canum rabies proprie significatur, ad deae naturam ita translatam esse, ut ipsa rabies quasi humana specie induta esse videatur. Ad homines praeterea translata impetum furibundum vox λύσσα significat, qualis canum rabidorum esse solet. Quem quidem usum, cum iam apud Homerum inveniatur atque etiam apud alios scriptores latissime pateat, ne a nostris quidem poetis alienum esse tuo iure suspicaberis. Ne igitur pluribus disputemus de singulis huius generis exemplis, apud Euripidem quidem praeter illud λύσσα vocabula ab eo derivata nobis occurrunt substantivum λύσσημα, adiectivum λυσσώδης atque feminini generis forma λυσσάς. Restant verba ὑλακτεῖν et βαΰζειν, quae latrandi sive ululandi notione praedita ad canem referenda sunt atque ad homines transferuntur, qui re aliqua excitati iratis verbis indignationem suam effundunt sive qui insana quadam ratione clamitant seu vociferant. Ita igitur apud Euripidem Alc. v. 760 Hercules describitur „ἄμουσ' ὑλακτῶν“, quippe qui vini copia perturbatus harioletur. Atque ad eundem pertinent, quae fr. 899 legimus :

κρέασι βοείοις χλωρὰ σῦκ' ἐπήσθιεν
ἄμουσ' ὑλακτῶν ὥστε βαρβάρῳ μαθεῖν.

Recte igitur Hesychius explicat : ὑλακτῶν· μετὰ μανίας

κράζων. Eademque significatione usurpatur verbum ὑλάω sive ὑλάσκω, quod metaphorice dictum Aeschyli Suppl. v. 878 nobis occurrit :

λύμασις ἣ πρὸ γᾶς ὑλάσκει.

Substantivum autem, quod de verbo illo derivatur, ὕλαγμα bis apud eundem poetam invenimus de ipsis verbis indignabundis usurpatum Agam. v. 1631 seq. :

σὺ δ' ἐξορίνας νηπίοις ὑλάγμασιν
ἄξῃ

atque ibidem v. 1672 :

μὴ προτιμήσῃς ματαίων τῶνδ' ὑλαγμάτων.

Deinde in eadem fabula alterum illud verbum βαΰζειν habemus v. 449 :

τάδε σῖγά τις βαΰζει,

quae vertere licet : ita silentio multi fremunt. Nec multum ab his diversa sunt, quae Pers. v. 12 exstant, ubi cum Meinekio legendum videtur :

πᾶσα γὰρ ἰσχὺς Ἀσιατογενὴς
ᾤχωκ'. ἐνεὸν δ' ἄνδρα βαΰζειν.

Quibus verbis, si quis fremat, quod Persae ad bellum profecti sint, operam perdere dicitur, quia absentes illi se vituperari minime sentiant. Restat adiectivum δυσβάϋκτος, quod eiusdem fabulae v. 573 seq. inventum idem fere valet atque lamentabilis. Sunt autem verba, quae illo loco exstant, ita expressa :

τεῖνε δὲ δυβάϋκτον
βοᾶτιν τάλαιναν αὐδάν.

Quibus peractis cum omnis materia consumpta sit neque ulla praeterea imago suppeditet, quid quasi summa totius quaestionis efficiatur, perorantes exponamus. Atque quod in fine partis illius, qua comparationes translationesque de agriculturae rebus petitae illustrandae erant, iudicium fecimus, id ne ab hoc quidem genere alienum putamus. Nam Euripidem similium copia a reliquis duobus

poetis superari concedes, si quidem multo maiore fabularum numero imagines ab illo usurpatas contineri respicias. Neque hoc ipso in genere magis singularis esse poeta videtur in illis effingendis. Apud Aeschylum deinde etsi similitudines, quae mollitiem quandam redoleant, haud omnino desiderantur, tamen rariores sunt ac multum abest, ut ad earum numerum, in quibus terribilia describuntur, accedant. Iam igitur eas translationes si spectas, quas de canis natura poeta desumpsit, maiore quodam studio atque amore in similibus eum versatum esse videbis de venatione profectis, qua terroris imprimis simulacra efficiuntur. Sed monendum est, ne eas quidem imagines, quas de fido gregum custode petitas attulimus, ad unam omnes aptas esse ad audientium animos delectandos. Nam quae exstant Agam. v. 607 et 896 exempla, cum a Clytaemnestra proferantur, quae quid contra maritum moliatur, dissimulare illis studet, eis efficitur, ut magis perturbentur animi atque de Agamemnonis vita anxii fiant, quam ut confirmentur et erigantur. Sophoclem autem hoc quoque in genere earum rerum, unde similia petivit, universam naturam respexisse ac pari fere studio imagines, quibus aut excitentur hominum animi aut mitigentur, amplexum esse, eum, qui accuratius perspiciat exempla a Lueckio pertractata, fugere non poterit. Ac iam totum genus imaginum spectantes si singulas de quibus egimus classes inter se comparamus, insigniore quodam studio atque amore in eis similitudinibus perpoliendis exornandisque poetas versatos esse videmus, quas de animalium illorum quae huc pertinent natura omnibusque eis rebus, quae ad vitam eorum referendae sunt, desumpserunt. Quod mirum non esse cum ex eis, quae initio huius commentationis dixi, satis appareat, quae ibi planius exposui, ea hic repetere nolo. Iam vero ut paucis complectamur, quae de tribus illis poetis tragicis statuisse nobis videmur, cum satis multae imagines, quae singulari quadam arte ac ratione compositae videantur, et apud Aeschylum et apud Sopho-

clem nobis occurrant, ille, qua erat animi ingeniique natura et indole, ipsis similibus, quibus usus est, plerumque gravitatis cuiusdam et severitatis signum impressit, hic, cuius sermonem temperatum inter indulgentiam gravitatemque invenimus, molliori cuidam translationum generi principatum detulit. Quas vero ex Euripide attulimus similitudines, eas neque tam copiosas neque tam singulares esse vidimus, ut in his rebus cum duobus illis poetis eodem loco et numero eum habere liceret.

VITA.

Natus sum Hermannus Briegleb a. d. III. Nonas Martias anni MDCCCLX Alshemii, in Hassiae pago, patre Elardo, verbi divini magistro, matre Augusta e gente Langsdorf. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis imbutus ab anno MDCCCLXXIII—MDCCCLXXVIII gymnasium Wormatiense frequentavi. Maturitatis testimonio instructus postquam Wormatiae officio militari per unum annum satisfeci, vere anni MDCCCLXXIX universitatem Gissensem adii, ubi in civium almae academiae numerum receptus philologiae operam dedi atque audivi viros illustrissimos Braune, Clemm, Oncken, Philippi. Duobus annis confectis Lipsiam me contuli, ubi per quinque semestria scholis interfui virorum doctissimorum Arndt, Curtius, Lange, Lipsius, Masius, Overbeck, Pueckert, Ribbeck, Seydel, Voigt, Wundt, Zarncke. Inde ubi autumno anni MDCCCLXXXIII Gissam reverti, viri illustrissimi me dodocuerunt Birch-Hirschfeld, Braune, Philippi, Schiller, Schmidt, Siebeck. Seminarii philologi sodalis fui extraordinarius per duo semestria, per unum ordinarius. Examine pro facultate docendi superato ab autumno anni MDCCCLXXXVI munere fungor scholastico in gymnasio Wormatiensi.

Iam omnibus viris optime de me meritis gratias quam maximas ago semperque habebo, imprimis benignissimis praeceptoribus Philippi et Schmidt, qui quantopere in studiis meis semper me adiuverint verbis satis dicere vix possum.

Scribendum erat

πῶλον pro *πώλον* pag. 9 l. 11, item *θνῄσκειν* pro *θνησκειν* pag. 51 l. 14. Ceterum quod saepe *iis* pro *eis* scriptum est id me invito factum esse moneo.